SUMMA PHILOSOPHIAE AUTHORE P. RAYMUNDO MAILHAT, ...


Digitized by Google



Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

48. 4. 2.

48
d.
2.



Digitized by Google

73 1

73 . 2


SVMMA PHILOSOPHIÆ

Authore

P. RAYMVNDO MAILHAT,
Ordinis Prædicatorum Conuentus,
S. THOMÆ *Aquinatis Tolosani,*


TOMVS II.


Primam partem Physicæ, seu octo libros Physicorum complectens.



EDITIO TERTIA.
Longè quàm hactenus emendatior.







TOLOSÆ,
Apud RAYMVNDVM BOSC.

M. D. C. LXII.


CVM PRIVILEGIO REGIS.

1225 A 2









PHYSICAE PROOEMIVM.



HYSICA, à Græco *Physicy*, idem sonat ac Naturalis (subaudi) philosophia: quæ est secunda pars subiectiua aut species sub ratione illa generica philosophiæ contenta, iuxta ea quæ in præfatione totius Cursus diximus, quæ hîc necessariò recolenda sunt. Dicitur verò naturalis facultas hæc, eo quòd de naturalibus rebus seu de ente naturali tanquam de proprio obiecto aut subiecto disserat. Verum circa hoc sit

PROLEGOMENON I.

De obiecto Physicæ.

OBiectum formale & adæquatum Physicæ variè assignant auctores, alij enim assignant ens naturale, alij ens mobile, alij substantiam aut corpus naturale, alij corpus mobile. Et est sermo, vt constat de obiecto *quod* seu de ratione formali *quæ* per se primò consideratur à Physica; ob-

iectum enim *quo* siue ratio formalis *sub qua* rationem illam *qua* aut obiectum *quod* attingit, est tùm abstractio ipsius à materia singulari, tùm ipsa eius definitio aut medium vel principium per quod de ipso demonstrat proprietates, sicut in Metaphysica explicabitur dum de vnitate scientiarum. Pro resolutione autem quæstionis.

Aduerte naturale & mobile pro eodem reipsa in proposito vsurpari. Naturale enim, vt hic sumitur, idem est ac constans naturâ, sumendo naturam prout à Physicis accipitur & definitur Principium radicale motus & quietis: atque adeò naturale in præsenti idem est ac illud quod in se habet principium radicale sui motus: quod idem significat ly mobile: non enim mobile vsurpatur hic prout importat mobilitatem proximam, sed radicalem duntaxat, seu principium remotum & radicale ipsius motus, ad quod se habet mobilitas proxima, aut immediata ad motum aptitudo, sicut proprietas ad essentiam quam consequitur. Hoc præsupposito.

Dico 1. obiectum formale & adæquatum Physicæ esse ens mobile.

Probatur: Obiectum formale cuiuslibet scientiæ aut facultatis dicitur, quod per se consideratur ab illa; adæquatum seu totale, quod omnia comprehendit de quibus in ea per se & ratione sui disputatur: atqui ens mobile vt sic habet vtramque conditionem respectu Physices: ergo. Probatur minor: Quidquid enim per se consideratur à Physica, aut de quo in illa disputatur per se & ratione sui, est vel mobile in communi, abstrahendo ab omni specie determinata motus, vt in prima parte; vel mobile aliquod in particulari, vt in reliquis partibus; puta motu locali, in secunda; motu generationis aut corruptionis, in tertia; vitali, in quarta & vltima: ergo mobile vt sic, prout dicitur de his omnibus veluti de speciebus, est quod per se consideratur à Physica quodque omnia de quibus per se agitur in illa, comprehendit. Antecedens constabit

ex dicendis initio cuiusque illarum quatuor partium in quas Physicam diuidemus: consequentia verò est per se euidens.

Dico 2. In re ipsa idem est assignare pro obiecto Physicæ ens naturale aut ens mobile, substantiam naturalem aut corpus mobile vel naturale: reliquis tamen conuenientius assignatur ens mobile.

Prima pars probatur: Ens naturale, ens mobile, substantia naturalis, corpus naturale aut mobile, idem significant quantum ad rem: ergo idem planè erit in re ipsa assignare vnum illorum ac aliud. Probatur antecedens: gradus enim subalternatim positi pro eodem omnino sumuntur, si per eandē differentiā essentialem omnes contrahantur, vt patet in istis, ens rationale, substantia rationalis, Corpus rationale viuens rationale Animal rationale; quæ idem in re ipsa significant, scilicet hominem: ratio est quia differentia illa essentialis non patitur huiusmodi gradus communes pro alio sumi, quàm pro illo cuius est differentia: atqui ens, substantia corpus, sunt gradus subalternatim positi, vt per se patet, substantia enim continetur sub ente tanquam sub gradu saltem imperfectè præciso, & corpus sub substantia; & contrahuntur ibi per eandem differentiam essentialem scilicet per naturale aut mobile, quæ in proposito idem sunt, vt ex dictis initio prolegomeni constat: ergo ens naturale, substantia naturalis, &c, idem significant quoad rem: atque ita præsens quæstio est magis de nomine quam de re ipsa.

Secunda tamen pars ita suadetur: Illud conuenientius assignatur & formalius obiectum scientiæ, de quo vt tali demonstrantur proprietates in illa: atqui de ente mobili vt mobile est non autem de ente naturali, de substantia aut corpore vt talibus demonstrantur per se primò proprietates in Physica: ergo. Probatur minor: proprietates enim Physicales sunt præcipuè motus vt sic, & species eius; atqui motus vt sic per se primò & formaliter de-

monſtratur de mobili in communi, ſpeciales verò motus, putà localis, vitalis, & huiuſmodi, de ſpecialibus mobilibus à quibus dimanant: ergo. Probatur minor: nam demonſtrantur illi motus per ſe primò de ſuis ſubiectis propriis & adæquatis per quæ formaliter definiuntur: ſed motus vt ſic definitur per ens mobile in communi, motus verò ſpeciales per ordinem ad ſpecialia mobilia, motus enim vt ſic definitur actus entis in potentia prout in potentia, id eſt, actus mobilis prout mobile eſt: ſimiliter motus localis eſt actus entis localiter mobilis vt tale eſt: & ſic de aliis: ergo.

Declaratur: Aſſignatur mobile potiùs quàm naturale, quia illud clariùs exprimit proprium & adæquatum principium aut ſubiectum motus, quàm iſtud: Aſſignatur mobile coniunctum enti potius quàm corpori aut ſubſtantiæ, quia notius eſt & magis indubitatum mobile eſſe ens quàm corpus vel ſubſtantiam.

Obiicies 1. Proprium & formale obiectum *quod*, eſt illud cui per ſe primò conuenit ratio formalis *ſub qua* omnia conſiderantur à ſcientia: atqui eſſe principium motus, quæ eſt ratio *ſub qua* Phyſicæ, conuenit per ſe primo corpori mobili, enti verò non niſi ratione corporis, ideo enim ens mouetur quia corpus mobile mouetur: ergo corpus mobile conuenientius aſſignatur.

Reſpondeo conuenire etiam per ſe primo enti, non vt ſic, (de quo ſolo probat obiectio) ſed mobili, quod ex alio capite potiùs aſſignatur quàm corpus mobile, vt oſtenſum eſt.

Obiicies 2. Eſſe mobile & quieſcibile ſunt propriæ paſſiones obiecti Phyſices, cùm conſtet naturâ quæ definitur principium motus & quietis: ergo debet aſſignari pro obiecto illud quod eſt radix vtriuſque: ſed ens mobile eſt radix motus tantùm non verò quietis cui videtur potiùs repugnare: ergo non debet aſſignari illud, ſed ens naturale vel ſubſtantia naturalis quæ important formaliter rationem

naturæ, ſubindéque principium & motus & quietis.

Reſpondeo ens mobile radicaliter eſſe principium motus & quietis, motus vt viæ, quietis vt termini ad quem motus tendit, nec ſic ei repugnat aut opponitur.

PROLEGOMENON II.

De natura & quidditate Phyſicæ.

DIco 1. Phyſicam eſſe veram ſcientiam: atque ita rectè definiri per ordinem ad proprium obiectum, quòd ſit ſcientia entis mobilis, ſeu rerum naturalium, quod reipſa in idem recidit, iuxta ſuperiùs dicta.

Prima pars probatur: Omnis habitus aut facultas demonſtratiuè procedens eſt vera ſcientia: ſed Phyſica eſt talis, vt enim ex toto ipſius decurſu conſtabit, plurimæ in ſingulis eius partibus demonſtrantur ab ipſa concluſiones: ergo.

Secunda verò pars manifeſta relinquitur ex dictis præcedenti prolegomeno: quælibet enim ſcientia eſt ſui obiecti ſcientia, ſeu ſcientifica cognitio: cùm ergo ibi oſtenſum ſit proprium Phyſicæ obiectum eſſe ens mobile, illudque reipſa coincidere cum ente naturali, aut aliis huiuſmodi, conſequens eſt, vt Phyſica, quæ vera ſcientia eſt vt probauimus, definiri debeat ſcientia entis mobilis aut naturalis.

Obiicies: ſcientia eſt tantùm de neceſſariis & perpetuis, & quæ aliter ſe habere non poſſunt: ſed Phyſica non agit de rebus neceſſariis, & quæ aliteri ſe habere non poſſint: ergo. Probatur minor: agit enim de ente mobili vt nos aſſerimus, ſubindéque de rebus mutabilibus: ergo non de neceſſariis quæ immutabiles eſſe debent.

Reſpondeo conceſſa maiore negando minorem. Ad probationem diſtinguo antecedens: Agit de re-

bus illis in actu exercito & quoad exiſtentiam ſpectatis, nego : in actu ſignato & quoad ſua prædicata eſſentialia vel proprias paſſiones, concedo : ſub hac autem ratione neceſſariæ ſunt res illæ : tam enim neceſſariò conueniunt enti mobili ſeu mutabili ſua eſſentialia prædicata, aut propria nempe hoc quod eſt eſſe mutabile, aut habere principium motus, quàm Deo eſſe immutabilem omninò & immotum.

Dico ſecundò Phyſicam eſſe ſcientiam ſpeculatiuam.

Probatur : quia ſiſtit in contemplatione ſui obiecti aut rerum naturalium, nec ex natura ſua tendit ad aliquod opus extra intellectum, quod ſolum habet rationem praxeos, vt aliàs, oſtenſum eſt : ergo.

Obiicies Medicina eſt ſcientia practica & tamen vera pars Philoſophiæ naturalis, cùm differat de aliquo ente mobili, agit ſiquidem de corpore humano vt ſanabili, hoc eſt, vt mobili ad ſanitatem : ergo Phyſica non eſt ſpeculatiua ſaltem quoad omnes partes.

Reſpondeo medicinam quidem eſſe ſcientiam practicam, cùm ordinetur ad opus, nempe ad remedia applicanda aut præſcribenda : ſed nego eſſe partem Phyſicæ, quia non agit de corpore, vt mobili per naturam, ſed per artem, ad ſanitatem. Eſt ergo ſcientia diſtincta à Phyſica, ipſi tamen ſubalternata & ab ea eſſentialiter dependens, ſiquidem ab ea mutuatur ſua principia quæ ſunt ipſius Phyſicæ concluſiones, vnde dicitur ibi incipere Medicus vbi deſinit Phyſicus, aut è contra. Quare non aſſentior iis qui rationem ſcientiæ denegant medicinæ, cùm procedat per principia certa, vt potè in Phyſica demonſtrata.

PROLEGOMENON III.

De partitione Physicæ.

DIco 1. Physicam rectè diuidi in quatuor partes, quarum prima agit proceditque de ente mobili in communi; secunda de mobili motu locali; tertia, de motu generationis & corruptionis; quarta de motu vitali, vt iam prolegom. 1. insinuauimus. Et ratio est euidens: quia, vt ait Aristoteles, scientia diuiditur sicut res ipsæ de quibus pertractat: ens autem mobile vt, sic de quo vti de obiecto adæquato tractat Physica, in quatuor illa partialia obiecta diuiditur. Et agitur primo loco de ente mobili in communi, postea de ente loco mobili, tum de ente generabili & corruptibili, & vltimò de viuente, vt sic seruetur methodus compositionis, proceditursque ab vniuersalioribus ad minùs vniuersalia. Quæ ad obiecta singularum partium spectant, vide initio cuiusque earum exactiùs explicata.

Dices: obiectum totius facultatis non debet coïncidere cum obiecto vnius partis, sed latiùs patere, sicut totum parte: atqui coïncidit in proposito, si pro obiecto primæ partis assignetur ens mobile in communi, illud enim est obiectum adæquatum totius Physicæ: ergo.


Respondeo negando minorem: aliter enim ens mobile vt sic, seu in communi dicitur obiectum totius Physicæ, aliter partis illius: est enim obiectum totius Physicæ provt est totum quoddam potentiale complectens omne omninò mobile tam in communi quàm in particulari sumptum: est verò obiectum primæ partis prout est totum actuale importans solam rationem mobilis in communi, præscindensque ab omni mobili particulari, atque

ita minùs latè patet quàm obiectum totius scientiæ & sub illo continetur, vt constat.

Dico secundò Physicam nihilominùs esse vnam specie scientiam simplicemque habitum, & non ex pluribus partialibus compositum.

Probatur: quia omnia illa partialia obiecta conueniunt in vna ratione scibilis, ob vnam rationem formalem sub qua attinguntur, quæ est ratio entis mobilis à materia singulari abstracta; & solùm materialiter & in esse entis sunt diuersa, ergo habent rationem vnius simplicis specificatiui scientiæ quæ ab obiecto in esse obiecti seu in esse scibilis spectato, non verò in esse entis, specificatur; atque ita erit vna specie & simplex qualitas & non composita, quæ erat secunda pars conclusionis in libris de generatione amplius demonstranda & explicanda, sicut & prior in Metaphysica.





PRIMA PARS PHYSICAE,

De ente naturali aut mobili in communi:


SEV


De Physico auditu.



DE ente ergo naturali aut mobili in communi prout abstrahit ab omni specie determinata motus vel mobilis, agetur hic tanquam de proprio & peculiari obiecto huiusce primæ partis seu librorum de physico auditu, vt prolegomeno vltimo præcedente dictum est. Quod denuò suadetur: quia vt tale & continetur sub ente mobili vt sic, vt etiam ibi explicuimus, & continet sub se aut comprehendit omnia quæ in hac parte pertractantur, vel tanquam partes aut principia, vt materiam, formam, & priuationem, omniáue causarum genera quæ hic explicantur; vel

tanquam affectiones seu proprietates, vt motum & alia quæ ad ipsum spectant. Hanc verò partem complexus est octo libris Aristoteles, quos ideò de physico auditu seu de naturali ausculatione appellauit, quòd, cum difficiliores sint aliis qui sequuntur totiusque naturalis Philosophiæ contineant fundamenta, maiori studio & attentione audiendi sunt. Vt autem nos Philosophi vestigiis inhæreamus, sit.






IN PRIMVM
librum Physicorum.

DISPVTATIO I.

De principiis entis naturalis aut mobilis in communi.



SECTIO I.

Quid sint principia entis naturalis.



RINCIPIVM in communi dicitur id omne ex quo aliquid quoquo modo procedit: qua ratione locus à quo quis proficiscitur vocatur principium viæ, & priuatio (puta formæ ignis) à qua materia (ligni v. g. procedit seu transit ad ipsam formam, appellabitur infrà principium generationis, seu ipsius compositi in fieri: similiter partes ex quibus totum resultat & compo-

nitur, dicuntur principia eius : & generaliter ea omnia ex quibus res aliqua procedit aut coalescit, illius principia dicuntur. Vnde colliges duplicis generis esse principia ; alia intrinseca, alia extrinseca; principia intrinseca sunt ea ex quibus res intrinsecè constat : extrinseca verò, ex quibus res non componitur, sed tamen ab iis realiter procedit, cuiusmodi sunt causa efficiens, finalis, & exemplaris. In proposito autem de solis principiis intrinsecis entis naturalis est quæstio : pro cuius resolutione

Dico principia entis naturalis esse, quæ nec fiunt ex aliis neque ex alterutris, sed ex ipsis omnia (naturalia) fiunt.

Declaratur : Principium vt vidimus dicitur id ex quo aliquid fit aut procedit : ergo principia entis naturalis vt sic dicuntur ea ex quibus omnia naturalia fiunt : & cùm sit sermo de principiis quæ sint principia simpliciter, hoc est prima, non verò principiata, consequens est vt non debeant fieri ex aliis, alioquin non ipsa, sed illa alia forent prima principia entis naturalis : neque etiam fieri debent ex alterutris ob eandem rationem, & insuper quia vnum & idem respectu eiusdem esset & primum principium, & principiatum si ex se mutuò fierent.

Aduerte tamen quòd cùm dicuntur principia entis naturalis non debere fieri ex aliis, intelligendum est, *vt quod* : vnde non obest quòd forma fiat seu educatur è materia, quia id est fieri solùm *vt quo*, cùm eius productio aut eductio ordinetur ad totum quod solum dicitur fieri *vt quod*, sicut existere *vt quod*.

Dices primò : priuatio est principium entis naturalis, vt infra dicemus : atqui præfata definitio non conuenit ei : ergo non est legitima. Probatur minor : quia non omnia entia naturalia fiunt ex priuatione, vt cæli quorum materia nunquam priuata fuit ea forma quam habet : ergo priuatio non est id ex quo omnia fiant.

Respondeo negando minorem : ad probationem respondeo cum distinctione; non omnia fieri è priuatione.


ione, sumendo ly omnia secundùm distributionem
bsolutam, secus si intelligatur sicut intelligi debet
ecundùm distributionem accommodam, & secun-
um eorum quæ fiunt exigentiam. Sensus ergo defi-
itionis non est, omnia absolutè entia naturalia de-
ere fieri ex omnibus principijs; sed omnia accom-
odatè, & prout vnumquodque exigit, ita vt ex
uibusdam illorum, scilicet ex materia & forma,
nnia constent corpora tam cælestia quàm subluna-
a; ex omnibus verò tribus, materia, nempe,
rma & priuatione fiant omnia dumtaxat subluna-
a & corruptibilia.

Dices secundò: illa particula *ex* in definitione
sita vel denotat habitudinem partis componentis,
l termini à quo: si primum, conuenit solùm ma-
riæ & formæ, non priuationi, cùm hæc nequeat
bere rationem partis: si secundum, competet soli
iuationi, non autem materiæ & formæ: ergo
omodocumque explicetur definitio illa erit vi-
sa.

Respondeo illam particulam nec accipi determi-
tè prout dicit habitudinem termini à quo, nec
out dicit habitudinem partis componentis, sed vt
trahit ab vtraque: sicque vt tota definitio simul
plicetur, ita est intelligenda: Principia sunt quæ
fiunt ex aliis (intellige vt quòd;) nec ex se in-
em, vel tanquam ex parte intrinseca, vel tan-
am ex termino à quo; omnia tamen fiunt ex ip-
, vel tanquam ex partibus intrinsecis, vt corpora
orruptibilia quæ constant materia & forma, vel
im vt ex termino à quo, sicut sublunaria: sicque
nprehenditur ipsa priuatio ex qua tanquam ex
nino à quo fiunt corpora sublunaria, ex materia
o & forma tanquam ex partibus.

Et hac verò explicatione plura, quæ fieri possent
umenta, soluuntur, & intelligitur etiam, maxi-
ex dictis initio sectionis, quo modo à ratione
ncipij excludatur causa efficiens, quia nihil fit ex
, sed ab ipsa, similiter etiam causa finalis, ex

qua nihil fit, sed propter quàm omnia fiunt; & tandem exemplaris, ex qua etiam res non fit, sed ad eius imitationem efformatur: vno verbo cùm hic de principiis intrinsecè constitutiuis entis naturalis sit sermo, ea omnia à ratione principij, quod hic definitur, excludi debent, quæ intrinsecè ens naturale non constituunt.



SECTIO II.

Quot sint principia entis naturalis.

NOta compositum naturale, puta ignem, posse dupliciter considerari. Primò in fieri, id est in eo statu quem habet dum actu generatur, seu dum transit de non esse ad esse, puta cùm materia ligni transit actualiter de non esse sub forma ignis ad esse sub illa. Secundò in facto esse, id est in eo statu quem habet vt iam est genitum & ex suis partibus compositum. Hoc posito.

Dico tria esse principia entis naturalis aut compositi considerati vt est in fieri, scilicet materiam, formam & priuationem: duo verò solum si consideretur in facto esse, nempe materiam & formam.

Prima pars probatur: Principia compositi naturalis vt est in fieri seu generari dicuntur ea quæ intrinsecè & essentialiter concurrunt ad illius generationem, (sicut enim generatio & compositum in generari in idem recidunt, ita & principia vtriusque:) atqui materia forma, & priuatio intrinsecè & essentialiter concurrunt ad generationem compositi naturalis, & nihil aliud: ergo illa tria & non plura sunt principia generationis compositi naturalis. Probatur minor: Ad omnem mutationem tria dun-

taxat eſſentialiter requiruntur ſcilicet terminus à quo , terminus ad quem , & ſubiectum vtrique termino commune , vt patet ex ipſa definitione mutationis quæ eſt tranſitus ſubiecti de non eſſe (ecce terminum à quo) ad eſſe (ecce terminum ad quem :) atqui generatio eſt mutatio, cùm ſit tranſitus materiæ à non eſſe ſub forma ignis , V. G. ad eſſe ſub illa : ergo tria tantummodò ad illam requiruntur , ſcilicet ſubiectum quod tranſit de non eſſe ad eſſe , ſeu de priuatione formæ ad ipſam formam , & illud eſt materia prima ; deinde ipſum non eſſe ſeu priuatio illa formæ acquirendæ , tanquam terminus à quo materia recedit ; & ipſa denique forma vt terminus ad quem tranſit. Ex quibus habes definitionem generationis in communi , eſt enim mutatio ſeu tranſitus materiæ à priuatione ad formam , ſeu à non eſſe formæ ſubindéque & compoſiti, ad eſſe ipſius.

Secunda vero pars ſic ſuadetur : illa ſunt principia entis naturalis in facto eſſe , quæ remanent tranſacta generatione , illudque intrinſecè & permanenter conſtituunt : atqui ſola materia & forma remanent tranſacta generatione intrinſecè conſtituentes ipſum compoſitum, priuatio verò deſinit adueniente forma cuius erat priuatio : ergo ſola materia & forma ſunt principia entis naturalis ſpectari in facto eſſe.

Obiicies primò : priuatio nequit eſſe principium entis naturalis etiam in fieri : ergo non ſunt tria principia illius. Probatur antecedens : Non ens nequit eſſe principium entis : atqui priuatio eſt non ens ergo.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens eiuſque probationem , dicendo priuationem ſeu non ens non poſſe quidem eſſe principium entis naturalis in fieri , per modum partis componentis ipſum, benè autem per modum termini à quo : ſicut enim locus à quo quis proficiſcitur dicitur prin-

cipium viæ, ita priuatio à qua materia transit ad formam, appellatur principium generationis.

Instabis: Materia non solùm transit à priuatione ad formam, sed etiam ab vna forma ad alteram, putà à forma ligni ad formam ignis: ergo non solùm priuatio formæ introducendæ erit principium generationis, sed etiam forma præcedens, & sic erunt quatuor principia. Consequentia videtur euidens ex præcedenti solutione, non enim minùs est terminus à quo generationis, forma præexistens, quàm priuatio formæ introducendæ, à qua materia transit ad ipsam formam.

Respondeo generationem esse essentialiter mutationem seu transitum materiæ à priuatione ad formam ipsam præcisè: quod autem alia forma præcesserit, & subinde quod in generatione fiat transitus ab vna, forma ad alteram, requiritur quidem indispensabiliter ex alio capite, ex eo scilicet quod materia quæ ad generationem essentialiter præsupponitur, non possit aut potuerit præcedere denudata omni forma; sed non est de essentia generationis, nec illam intrinsecè constituit, sicut priuatio: vnde negatur formam præcedentem esse terminum essentialem generationis, subindeque quartum principium, sed tantum aliquid præsuppositum. Ex quibus facilè est respondere ad formam argumenti.

Obiicies 2. Ad generationem concurrit etiam generans ergo erit quartum principium.

Respondeo distinguendo antecedens: concurrit generans per modum causæ efficientis subindéque principij extrinseci concedo: per modum constitutiui seu principij intrinseci, nego: & pariter nego consequentiam, hic enim sermo est tantùm de principiis intrinsecis.

Dices: Requiruntur dispositiones quibus materia præparetur ad formam introducendam, debet etiam interuenire vnio materiæ cum forma in generatione compositi naturalis: atqui dispositiones & vnio sunt

quid intrinſecum : ergo erunt plura quàm tria principia intrinſeca.

Reſpondeo requiri diſpoſitiones præſuppoſitiuè & non formaliter, cùm generatio formaliter & eſſentialiter ſit ſolùm mutatio de priuatione ad formam. Addo: diſpoſitiones ſe tenere ex parte materiæ, atque adeo ſe habere ad ſummum per modum vnius principij cum illa. Ad aliud verò reſpondeo dato pro nunc & non conceſſo quòd vnio ſit aliquid medium diſtinctum à materia & forma, illam tamen non eſſe principium, ſed principiorum, id eſt, materiæ & formæ exercitium & complementum. Vnde non ſequitur eſſe plura quàm tria principia.

Ex dictis confutata manent deliria antiquorum Philoſophorum circa prima principia rerum naturalium, quæ alij dicebant non eſſe plura ſed vnum, quod Thales volebat eſſe aquam, Heraclitus ignem: alij plura admitebant, finita tamen: & ex his alij volebant eſſe duo tantùm, ſcilicet ignem & aquam; alij tria, ignem, aquam, & aërem, reiicientes terram propter eius nimiam craſſitiem; alij tamen illam addebant: denique alij dicebant eſſe infinita, putà infinitos atomos; vt Democritus; vel infinitas particulas, vt Anaxagoras. Quibus omnibus opponenda tantùm eſt definitio primorum entis naturalis principiorum ab Ariſtotele tradita & à nobis ſuperiori ſectione explicata, & comperietur illam non conuenire his quæ aſſignabant illi Philoſophi tanquam prima principia, cùm conſtet ea omnia fieri ex aliis, ſcilicet ex materia & forma.

Quæres, quo ſenſu prima principia entis naturalis dicantur prima contraria?

Reſpondeo id inprimis nullo modo verificari de materia collata cum forma, aut etiam cum priuatione: eſt enim compoſſibilis cum vtraque, ſiquidem vtrique ſucceſſiuè ſubſtat, atque ita nullatenus opponitur ipſis. De ſola ergo forma col-

lata cum priuatione id intelligi debet, non quòd ipsæ formaliter opponantur contrarietate propriè dicta, oppositio enim quæ intercedit inter formam & priuationem formaliter priuatiua est, vt ex ipsis terminis constat; sed quia sunt primæ radices contrariorum propriè dictorum: frigus enim V. G. quod est propriè contrarium calori, oritur ab vna forma, & calor à priuatione eius, aut potius ab alia forma vt coniuncta cùm huiusmodi priuatione. Vnde tandem fit, prima principia dici prima contraria non formaliter sed radicaliter.




DISPVTATIO II.

De primo supradictorum entis naturalis principiorum.

NEMPE.

De Materia prima.

EXaminata naturâ principiorum entis naturalis in communi, agendum est de singulis in particulari iuxta leges methodi compositionis.



SECTIO I.

An detur materia prima, & quid sit.

DIco 1. Datur materia prima.

Probatur: nomine materiæ primæ intelligitur ſubiectum formæ ex quo & ex ipſa forma ſubſtantiali tanquam ex principiis intrinſecis totum ſubſtantiale coaleſcit; ſicut per materiam ſecundam intelligitur ipſum ſubſtantiale compoſitum quatenus eſt ſubiectum formarum accidentalium, ex quo & ex huiuſmodi accidentibus conſurgit totum compoſitum accidentale: atqui datur à parte rei ſubiectum illud recipiens & ſuſtentans formam ſubſtantialem & cum illa totum ſubſtantiale componens: ergo datur materia prima. Maior non indiget probatione, cum enim materia in propoſito ſumatur propriè, prout idem eſt ac ſubiectum, idem ſine dubio erit materia prima ac primum ſubiectum, quod non poteſt eſſe aliud quam quod ſubſternitur formæ ſubſtantiali, cum hoc nullum aliud præſupponat in quo ſuſtentetur, aliàs daretur proceſſus in infinitum: & ſimiliter idem erit materia ſecunda ac ſubiectum ſecundum, quod videlicet ſubſternitur accidentibus, & appellatur ſecundum, quia ſupponit primum, ſcilicet materiam, ex qua & ex forma ſubſtantiali componitur. Minor non eſt minus euidens: cum enim detur à parte rei compoſitum ſubſtantiale, debent etiam dari partes quibus conſtat: ſed illæ ſunt forma ſubſtantialis & materia ſeu ſubiectum illam ſuſtentans: ergo.

Confirmatur & explicatur ex ipſa ratione ge-

nerationis: cum enim ex palea v. g. generatur ignis, materia quæ erat sub forma paleæ, subindéque sub priuatione formæ ignis, transit ad esse sub forma ignis: atqui illa est materia prima: ergo datur materia prima. Maior patet: vel enim tota palea perit totaliter, vel aliquid remanet sub forma ignis: non primum, aliàs vi agentis naturalis annihilaretur palea subindéque ignis virtute eiusdem causæ creaturæ ex nihilo produceretur seu crearetur, quod implicat: si autem dicatur secundum, habetur intentum, nam illud quod remanet non est forma paleæ, aliàs vnum & idem compositum simul esset palea & ignis; nec etiam accidentia, frigiditas enim paleæ destruitur per calorem ignis, similiter color & alia. Minor verò probatur: Materia prima seu primum subiectum dicitur illud quod non præsupponit aliud: atqui materia prima transiens à priuatione formæ ignis ad esse illius non præsupponit aliud subiectum qui insit: ergo est materia prima. Probatur minor: nam vel illud aliud subiectum cui inesset materia præsupponeret iterum aliud & sic deinceps, vel non præsupponeret: si primum, daretur processus in infinitum ab omnibus explosus: si secundum, ergo illud esset materia prima seu primum & irreceptibile subiectum, sicque haberemus quod intendimus, dari scilicet materiam primam. Ex quibus inferendo.

Dico 2. materiam primam rectè definiri ab Aristotele, quòd sit primum subiectum ex quo inexistenti fit aliquid non secundum accidens. Explicatur: Ly subiectum in hac definitione se habet vt genus aut quasi genus est enim quid commune materiæ primæ & secundæ: ly primum gerit vicem differentiæ, materiam primam à secunda, distinguentis. Additur ly ex quo inexistente fit aliquid, id est compositum naturale: per quod distinguitur materia prima à priuatione quia quamuis compositum naturale fiat ex priuatione vt ex termino à quo, non tamen vt ex parte inexistente seu

componente, cùm priuatio transuolet adueniente forma. Dicitur, non secundum accidens, quo denotatur ex materia & forma fieri vnum per se, & non solum per accidens, sicut ex subiecto & forma accidentali.



SECTIO II.

Vtrùm materia prima sit omninò pura potentia nullum planè includens actum entitatiuum.

CErtum est apud omnes materiam primam esse potentiam receptiuam formæ: sed an ita sit potentia vt nullum ex parte sui prout distincta à forma importet actum, est difficultas non mediocris. Pro cuius resolutione.

Aduerte duplicem esse actum, alterum essentiæ, alterum existentiæ: actus essentiæ dicitur ille qui constituit rem in sua quidditate seu essentia, vt rationalitas: actus verò existentiæ est ille qui constituit rem in ratione actualiter existentis à parte rei. Rursus actus essentiæ alius est physicus alius metaphysicus: actus physicus est ipsa forma physica quæ actuando materiam constituit vnà cum illa compositum substantiale in ratione totius physici seu naturalis: actus verò metaphysicus est differentia essentialis quatenus actuat & determinat genus. In præsenti non mouemus quæstionem de actu existentiæ de quo infra, sed de solo actu essentiæ seu entitatiuo, nec adhuc de omni cùm indubitatum sit

B 5.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

materiam primam vt condistinctam à forma non includere actum physicum qui est ipsa forma, atque adeò esse puram potentiam physicam; sed solùm de actu metaphysico, num scilicet materia prima sit pura potentia in ordine etiam metaphysico per exclusionem omnis omnino actus metaphysici. Ad quod respondendo.

Dico: Materia prima est omnino pura potentia nullum prorsus includens actum entitatiuum. Ita Thomistæ, Scoto, Suare, & aliis dissentientibus, & admittentibus in materia actum aliquem, quem ideò appellant entitatiuum quòd putent transcendentaliter includi in omni ente à parte rei posito.

Probatur 1. Si materia prima non esset pura potentia; sed aliquem in sua essentia importaret actum, vel ipsa esset purus actus & simplex, vel aliquid compositum ex actu & potentia: primum non admittunt aduesarij, & est per se euidens, cùm de essentia materiæ imo & propria ratio eius sit esse potentiam receptiuam formæ; sed neque secundum dici potest: ergo. Probatur secunda pars minoris: materia prout condistincta à forma non potest intelligi composita nisi ex gradu communi & veluti generico in quo conuenit cum aliis, & ex gradu veluti differentiali & proprio in quo differt ab illis (dico ex gradu veluti generico aut differentiali, quia cùm materia sit ens incompletum, in ea non repetitur verà ratio generis aut differentiæ: atqui compositio ex gradu generico & differentiali in materia non est compositio ex actu & potentia: ergo materia prima non est quid ex actu & potentia compositum. Probatur minor: Nam in primis ratio illa veluti generica aut potius analoga substantiæ, in qua materia conuenit cum forma & aliis, est quid potentiale & contrahibile; similiter etiam ratio veluti differentialis, in qua secernitur ab illis, hæc enim nihil aliud est quàm mera potentialitas seu capacitas recipiendi formam: ergo compositio ex illis consurgens non est compositio ex actu & potentia.

Probatur 2. euertendo fundamentum aduersariorum: Tota enim ratio quam habent ponendi actum illum entitatiuum seu essentialem in materia secundum se sumpta & prout condistincta à forma, est quia materia prima de se est verum ens reale, quod de facto repèritur à parte rei, vt pote vera pars compositi substantialis: atqui illa ratio nulla est: ergo. Probatur minor: Vt materia prima sit vera entitas realis & extra nihil, sufficit quod contineatur sub vno membro diuidente ens reale in tota sua latitudine sumptum: atqui licet sit pura potentia nullum prorsus actum includens, saluatur illam contineri sub vno membro diuisiuo entis realis vt sic: ergo non requiritur quod aliquem includat actum. Probatur minor: Ens reale in tota sua latitudine sumptum prima partitione diuiditur ab Aristotele libro sexto & nono Metaphysicæ in actum & potentiam, & ex vtroque compositum: ergo hoc ipso quod materia prima erit potentia realis, quamuis nullum includens, actum, continebitur sub vno membro scilicet sub potentia. Vnde.

Aduerte in hoc decipi aduersarios quod existiment nullum dari medium inter ens actu seu entitatem actualem ex vna parte, & purum nihil ex altera, ex quo inferunt materiam primam hoc ipso quód non est merum nihil, sed vera entitas realis, vt nos vltro concedimus, debere dici ens in actu, adeóque includere actum aliquem saltem entitatiuum ratione cuius dicatur entitas actualis. In hoc inquam falluntur: nam vel sumunt ens in actu lato modo & impropriè, prout idem est ac ens quod re ipsa & de facto est à parte rei: vel in sensu proprio, pro ente scilicet quod est verè actus, aut quod proprium includit actum: si primo modo sumant ens in actu, libenter fatemur non dari medium inter nihil & ens in actu, subindéque materiam hoc ipso quod non est merum nihil debere esse ens in actu, id est, entitatem realem positam à parte rei: & si nihil aliud volunt aduersarij, verum dicunt, sed abu-

cuntur nomine entis in actu : si autem ens in actu sumatur secundo modo & propriè pro eo quod vel est verus actus vel ipsum includit, in quo sensu nos in præsenti loquimur, velintque aduersarij materiã primam eo ipso quod non est nihil debere dici ens in actu sensu illo proprio, planè decipiuntur, cùm inter huiusmodi extrema mediet ens quod est potentia realis receptiua actus seu formæ, nimirum materia prima, quæ nec est nihil sed verum ens reale, cùm sit pars compositi substantialis; nec est etiam ens in actu, cùm nullum actum includat; sed mera potentia realis : ex quibus solues fundamenta aduersariorum.

Obiiciunt enim primò : Materia ex se & vt est pars compositi condistincta à forma, est ens actu: ergo non est pura omnino potentia. Probatur antecedens : Quod non est merè possibile, sed de facto datur à parte rei, est ens actu : atqui materia prima non est merè possibilis, alias esset actu nihil; sed de facto datur à parte rei : ergo est ens actu.

Respondeo 1. negando antecedens, & maiorem probationis eius, nam vt vidimus materia prima est pars vera compositi per modum puræ potentiæ & non per modum entis actualis inter quod & nihil seu ens merè possibile datur medium, nempe ens reale purè potentiale, seu vera & realis potentia. Claritatis tamen gratia.

Respondeo 2. distinguendo antecedens : est ens actu, id est de facto & re ipsa à parte rei positum concedo : includens actum aliquem entitatiuum, nego. Similiter ad probationem distinguo maiorem: Quod non est merè possibile est ens actu, id est re ipsa positum à parte rei, concedo : includens actum aliquem nego : & eodem modo distingue consequentiam : vt enim materia prima non sit purum nihil sed ens reale positum à parte rei, sufficit quod sit vera & realis potentia receptiua formæ.

Obiicies 2. Quod est omnino in potentia, est

nihil, quia solùm dicitur esse eo quod potest ab agente produci: sed materia prima est extra nihil: ergo non est omnino in potentia: ergo est ens in actu.

Respondeo 1. concedendo totum primum argumentum, neque enim nos asserimus materiam primam esse in potentia, id enim denotaret eam nondùm esse de facto à parte rei; sed dicimus esse potentiam, id est entitatem in rerum natura positam quæ sit pura potentialitas receptiua formæ, Instabis non est ens in potentia, ergo in actu: distinguo, id est in rerum natura positum, concedo; constans actu aliquo, nego.

Respondeo 2. Et in idem redit solutio, duplicem esse potentiam quoad propositum spectat: alteram obiectiuam, quæ nihil aliud est quàm non repugnantia in re aliqua vt producatur à parte rei: alteram subiectiuam, quæ est reipsa entitas quædam realis receptiua actus seu formæ. Hoc posito, distinguo maiorem: Quod est omnino in potentia obiectiua est nihil, concedo: quod est in potentia subiectiua, id est quod consistit in pura potentialitate receptiua actus, nego: quæ distinctio applicanda est consequentiæ, materia enim non est in potentia primo modo, sed secundo: vnde solùm sequitur esse ens actu sensu superiùs explicato.

Instabis: potentia non potest expleri nisi per actum: atqui potentia obiectiua in qua erat materia antequam crearetur, expleta fuit per ipsam materiam actu productum: ergo ipsa materia producta & à parte rei posita est aliquis actus, saltem entitatiuus explens potentiam illam obiectiuam.

Respondeo omnem veram potentiam positiuam expleri debere per actum aliquem, putà actiuam per actionem quam elicit, receptiuam per formam quam in suo sinu admittit: potentia verò obiectiua, cum non sit vera potentia realis & positiua, sed tantùm negatiua, scilicet non repugnantiâ quam habet aliquid vt producatur, non debet necessariò

expleri per aliquem actum, sed per illud ipsum, quidquid tandem sit, quod antea dicebatur possibile seu in potentiâ obiectiua, vnde si illud erat actus, explebitur per actum: si verò erat pura potentia subiectiua, explebitur per hoc quod ponatur de facto à parte rei pura potentia subiectiua formæ: vnde potentia obiectiua siue non repugnantia quam ante sui creationem habebat materia vt produceretur, expleta fuit per ipsius materiæ creationem licet ipsa non sit actus sed potentia.

Obiicies tertiò: Quamuis forma si actus simplex physicus, includit tamen potentiam in ordine metaphysico: nempe relationem communem substantiæ in qua analogicè saltem conuenit cum materia & aliis ergo è contra tametsi materia prima sit pura potentia physica: includet nihilominus actum metaphysicum.

Respondeo negando consequentiam & paritatem, quia propria & specialis ratio materiæ qua secernitur ab aliis est pura potentialitas seu capacitas recipiendi formam; vnde cum nec ex ratione communi, nec ex propria & veluti differentiali includat actum, ex omni parte erit pura potentia.

Ex dictis in hac & præcedenti sectione de quidditate & natura materiæ primæ, facile colligi potest quid dicendum sit de eius vnitate aut diuersitate: vnde.

Infero & dico 2. materiam primam rerum omnium sublunarium esse vnius eiusdemque speciei.

Probatur: vnitas specifica potentiæ tam actiuæ quam passiuæ seu receptiuæ sumitur ab vnitate actus vel obiecti adæquati quod respicit: sed omnes & singulæ materiæ sublunares respiciunt eundem specie actum adæquatum: ergo sunt vnius & eiusdem speciei, Probatur minor: Omnes & singulæ materiæ corporum inferiorum respiciunt formas omnes sublunares per modum vnius actus adæquati, si eas appetant sub vna & eadem formali ratione: atqui sic est, nam materia sublunaris respicit & appetit formas.

omnes huius inferioris mundi ſub ratione amiſſibilium, in quo differt a materia cæleſti quæ reſpicit ſuam formam inamiſſibiliter. Vnde.

Infero & dico tertiò materiam corporum cœleſtium differre ſpecie à materia ſublunarium.

Probatur: Quia ſi materia cœleſtis & ſublunaris eſſent eiuſdem ſpeciei, corpora cœleſtia eſſent ab intrinſeco corruptibilia ſicut & ſublunaria; ſed hoc eſt falſum: ergo. Probatur ſequela maioris: Illud dicitur corruptibile, quod habet in ſe principium & radicem corruptionis: atqui ſi corpora cœleſtia conſtarent materia eiuſdem rationis cum materia ſublunarium, includerent principium & radicem corruptionis: ergo. Probatur minor: materia enim ſublunarium talis eſt rationis vt ſit eſſentialiter radix corruptionis hoc ipſo quod reſpicit formas amiſſibiliter: ergo ſi corpora cœleſtia conſtarent materia eiuſdem rationis & ſpeciei cum noſtra, includerent principium corruptionis. Sed de his fuſiùs in libris de cœlo.

Infero & dico quarto materiam multiplicari numero iuxta multiplicationem compoſitorum. Patet, quia in diuerſis compoſitis ſortitur diuerſas differentias indiuiduales ratione diuerſarum numero quantitatum, per quas, aut certè per connotationem vel ordinem tranſcendentalem ad ipſas, indiuiduatur: de qua connotatione, aut materiæ per quantitatem ſigillatione, vt vocari ſolet, in Metaphyſica dicemus dum de principio indiuiduationis.

Obiicies: Si materia ſublunaris ſit vna ſpecie, differatque ſpecificè à cœleſti, ſequitur illam includere actum: conſequens eſt contra ſuperiùs dicta: ergo. Probatur ſequela maioris: Non poteſt differre ſpecie niſi beneficio differentiæ eſſentialis: ſed differentia eſt actus: ergo.

Reſpondeo negando ſequelam: ad probationem reſpondeo differentiam propriè dictam, & quæ conſtituit ſpeciem completam & perfectam, eſſe actum: differentia autem aut quaſi differentia mate-

riæ impropriè dicitur talis nec constituit eam in ratione speciei propriè dictæ, perfectæ, & completæ, sed potiùs in ratione perfectibilis & potentialis, vnde non est actus, sed pura capacitas & potentialitas ad formas recipiendas. Potest etiam sic distingui: Differentia entis actualis est actus, concedo: puræ potentiæ seu entis quod ex sua propria ratione est potentiale, nego.



SECTIO III.

Vtrùm materia prima vsque adeò sit pura potentia, vt nec etiam proprium existendi actum sibi vendicet.

SEnsus tituli est, vtrùm materia prima prout condistincta à forma non solùm non habeat actum aliquem entitatiuum seu essentialem, sed neque etiam propriam sibi vendicet existentiam distinctam ab existentia formæ & totius compositi. Ad quod respondendo.

Dico 1. Materia prima nullam prorsus ex se habet existentiam, sed existit per existentiam formæ & compositi substantialis. Sic Thomistæ: Suares & alij contrà.

Probatur 1. Si materia prima haberet propriam existentiam, non fieret ex ipsa & ex forma substantiali vnum per se, sed solùm per accidens: consequens est falsum: ergo. Probatur sequela maioris: Ex duobus entibus in actu vltimo constitutis non fit vnum per se, vt habet commune axioma philoso-

phorum, ſed tantùm per accidens & per aggregationem: atqui ſi materia habeat propriam exiſtentiam, erit ens in actu vltimo conſtitutum; & ſimiliter forma, cùm à fortiori ſpecialem ſibi iuxta aduerſarios vendicet exiſtentiam: ergò ex vtraque non fiet vnum per ſe. Minor patet: exiſtentia enim eſt vltima actualitas rei: ergo ens habens exiſtentiam eſt conſtitutum in actu vltimo.

Reſpondét vnum per ſe non poſſe fieri quidem ex duobus entibus conſtitutis in actu vltimo completo, ſeu habentibus totales & completas exiſtentias, quia iam vnumquodque illorum habet in ſe ſuum complementum, & ſic non poteſt ordinari ad aliud à quo compleatur, vel quod compleat, quod tamen requiritur ad compoſitionem per ſe: nihil tamen impedire quo minus ex duobus entibus incompletis ſeu habentibus partiales & incompletas exiſtentias poſſit fieri vnum per ſe. Tunc enim vnum comparatur ad aliud vt perfectibile ad perfectiuum intra idem genus: in propoſito autem exiſtentiæ materiæ & formæ ſunt partiales & incompletæ, & ita bene poteſt ex eis reſultare per compoſitionem phyſicam vnum per ſe.

Sed contra: Quia ſi materia habeat propriam exiſtentiam qualemcumque tandem, non ordinabitur ad formam ſicut potentia ad actum ſeu perfectibile ad perfectiuum: ergo ſolutio nulla. Probatur antecedens: quod eſt vltimò actuatum perfectum & determinatum non eſt vlterius actuabile perfectibile & determinabile: atqui ſi materia actu exiſtat ſuâ peculiari exiſtentiâ, qualiſcumque illa ſit, erit vltimò actuata perfecta & determinata, cùm exiſtentiâ vt ſit ſecundum ſuam formalem rationem ſit vltima actualitas, vltima perfectio, & vltimus terminus rei: ergo. Et hoc argumentum maximè vrget in ſententia aduerſariorum contendentium exiſtentiam cuiuſlibet rei identificari cum ipſius eſſentia: iuxta illam enim opinionem materia erit realiter ſua exiſtentia, ſubindeque ſua vltima actualitas, ſua vltima perfectio &

terminus: ergo non erit vlteriùs actuabilis, perfectibilis, & determinabilis per formam.

Probatur 2. Conclusio: Materia prima non existit nisi per existentiam totius: ergo non habet suam propriam existentiam partialem. Probatur antecedens: existentia est vltima actualitas qua res sistitur extra suas omnes causas, vnde dicitur existentia quasi extra causas sistentia: atqui materia prima, non sistitur aut ponitur extra suas omnes causas nisi ad positionem seu existentiam totius compositi: ergo non existit nisi ad vel per existentiam illius. Probatur minor: Materia prima non solùm pendet à causa efficienti, sed etiam à causa formali, id est à forma informante & actuante ipsam: atqui non intelligitur informata seu actuata per formam nisi ad positionem & existentiam totius quod hoc ipso intelligitur constitutum: ergo. Vnde colliges fictitias esse illas existentias partiales quas aduersarij admittunt, cùm partes non existant nisi per existentiam totius, quod enim diximus de materia, intelligendum est de forma quæ vicissim ab illa vt sustentate dependet, subindéque non intelligitur existens nisi ad existentiam totius.

Aduerte quod licet materia & forma in hoc pares sint quod neutra habeat propriam existentiam, sed ambæ existant per existentiam totius, in hoc tamen sunt dispares quod forma est prima radix existentiæ totius, vnde dicitur quod forma est quæ dat esse rei: & ob hanc rationem materia dicitur emendicare suam existentiam à forma & composito, ab illa radicaliter & remotè, ab isto verò formaliter & proximè.

Obiicies 1. Quod habet proprium fieri, habet proprium esse seu existere: atqui materia prima habet proprium fieri: ergo. Maior est certissima: cùm enim fieri terminetur ad esse effectus, proprium fieri terminabitur ad proprium & speciale esse. Minor verò probatur: materia prima habet proprium fieri si producta sit per actionem diuersam ab ea qua

producitur forma & totum compositum : atqui &c. ergo. Probatur minor : nam materia equi, v. g. & quælibet alia producta est initio mundi per creationem, formæ verò & totum compositum producuntur per actionem generatiuam agentis naturalis : ergo.

Respondeo concessâ maiore primi syllogismi, negando minorem : ad cuius probationem distinguo maiorem : Materia primæ habet proprium fieri si producta sit per actionem diuersam, quæ fuerit per se primò terminata ad materiam, concedo : per actionem diuersam quæ per se primò fuerit terminata ad aliquod compositum & secundariò tantùm ad materiam & formam, nego : Similiter ad minorem : materia enim prima producta fuit per actionem non per se primò terminatam ad ipsam, sed ad compositum, putà elementum, quod per se primò fuit productum, ipsa verò materia & forma secundariò ad productionem illius. Ex quibus patet ad probationem, dico enim materiam equi non fuisse per se primò creatam initio mundi, sed secundariò, vnde & potius comproducta & concreata dici debet, cum fuerit extracta ex nihilo per actionem creatiuam ad totum primariò terminatam. Vnde tantùm infertur materiam equi extitisse initio mundi per existentiam emendicatam à toto illo in quo tunc fuit creata aut potiùs concreata : nunc verò per existentiam totius puta equi qui producitur per actionem generatiuam agentis naturalis : non autem inferri potest quòd existat per existentiam, ab existentia totius, cuiusmodò est pars : distinctam.

Obiicies 2. Si materia prima non haberet propriam existentiam, sed à forma vel à toto mutuatam, sequeretur eam toties corrumpi aut generari, quoties compositum & forma corrumpuntur vel generantur : sed hoc est falsum, cùm ex infra dicendis materia sit incorruptibilis & ingenerabilis : ergo &c. sequela probatur : quia tunc res generatur, quando acquirit esse existentiæ ; & tunc corrumpi-

tur, quando, ipsum deperdit: sed supposito quòd materia non habeat aliud esse quàm formæ & compositi, toties acquiret esse existentiæ vel amittet illud, quoties producta, vel destructa fuerit existentia formæ vel, compositi: ergo toties ipsa materia destruetur aut de nouo producetur.

Respondeo negando sequelam maioris: ad probationem dicendum quòd rem generari aut corrumpi non est ipsam vt cùm que acquirere vel amittere esse existentiæ, sed ita illud acquirere, vt antea nullum præsupponeretur habere, vel ita amittere vt non immediatè succedat aliud: qua ratione equus verè dicitur generari, quia cum antea non esset, verè nunc est: similiter verè postea corrumpetur, quia de esse transibit ad non esse: at verò materia prima neutrum habet, nam antequam acquirat aliquod nouum esse, præsupponitur habere aliud sub forma præcedenti; & similiter in eodem instanti in quo amittit esse sub vna forma, acquirit aliud sub altera subsequente; atque adeo nec generatur nec corrumpitur aut destruitur. Et aduerte aliud esse materiam generari aut corrumpi, & aliud illam esse subiectum generationis aut corruptionis: ad primum enim requiritur quòd de non esse sui transiret ad esse sui, aut è contra, quòd non contingit: ad secundum verò sufficit quod de non esse sub forma equi, V. G. transeat ad esse illius, aut è conuerso.

Obiicies tertiò: materia est causa compositi & formæ substantialis, cum forma educatur de potentia materiæ, & ex ipsa intrinsecè componatur totum substantiale: ergo est prior formâ & composito substantiali, in illo ergo priori naturæ quo materia præsupponitur formæ & composito, cum non sit nihil, debet habere entitatem actu existentem: non existentiâ formæ & compositi, quæ nondum intelligitur: ergo propriâ.

Respondeo concesso antecedente distinguendo consequentiam: est prior secundum realitatem essentiæ, concedo: secundum actualitatem existentiæ,

nego, loquendo de existentia materiæ sub tali composito quòd tunc generatur, illa enim vt diximus dependet à forma informante, nec est alia quam existentia totius, subindéque antecedenter ad ipsum & ad formam non intelligitur in materia; quamuis prius tempore & ab initio mundi habuerit existentiam in compositis sub quibus præcessit.

Instabis: Nihil potest exercere suam causalitatem nisi habeat existentiam: sed in illo priori quo materia in instanti generationis antecedit formam, exercet suam causalitatem in ipsam & in compositum: ergo in illo priori naturæ habet existentiam.

Respondeo maiorem esse veram in causis efficientibus, non verò in materiali & formali: cùm enim materia & forma non causent aliter compositum quàm communicando suas proprias entitates essentiales ex quibus resultat, sufficit quod illas habeant in eo priori quo intelliguntur causare: at vero causa efficiens, cùm causet per veram actionem, debet habere existentiam, vt actionem huiusmodi exerceat, actiones enim non sunt nisi suppositorum & existentium vt habet commune axioma.

Vrgebis, materia prima in eo priori quo causat, est extra causam efficientem, cùm sit producta: ergo habet existentiam. Probatur consequentia: quia omnis efficientia terminatur ad existentiam effectus.

Respondeo distinguendo antecedens: est extra causam efficientem, quoad realitatem essentiæ, concedo: quoad actualitatem existentiæ: nego: hæc enim pendet à forma informante quæ in illo priori nondum intelligitur exercuisse suam causalitatem: vnde nego consequentiam: & ad probationem respondeo efficientiam terminari ad existentiam supposita causalitate aliarum causarum, non vero antecedenter ad illam.

Ex quibus omnibus patet materiam quidem quantum ad suam entitatem essentiæ esse in rerum natura ab initio mundi & manere semper eandem; quantum verò ad existentiam, quæ non est alia quàm exi-

ſtentia formæ & compoſiti, toties produci quoties noua aduenit forma ſubſtantialis nouumque generatur compoſitum corrupto præcedenti per cuius exiſtentiam exiſtebat.

Obiiciunt denique aduerſarij: Eſſentia & exiſtentia non diſtinguuntur realiter: ergo cum materia habeat propriam eſſentiam, habebit propriam exiſtentiam.

Ad hoc argumentum reſpondebitur in metaphyſica vbi oſtendemus eſſentiam realiter diſtingui ab exiſtentia in rebus creatis: vnde negandum eſt antecedens.

Dico 2. implicare contradictionem materiam exiſtere ſine forma, ſubindéque id non poſſe diuinitus fieri. Ita Thomiſtæ: alij contra.

Probatur: Implicat materiam exiſtere ſine exiſtentia: ſed ſi exiſteret ſine forma, exiſteret ſine exiſtentia: ergo. Probatur minor: quia materia non habet aliam exiſtentiam quàm formæ & compoſiti, vt oſtendimus: ergo ſi exiſteret ſeorſim à forma & compoſito, exiſteret ſine exiſtentia. Vrgetur hæc ratio: exiſtentia eſt rei extra ſuas omnes cauſas veluti ſiſtentia & poſitio: atqui implicat materiam eſſe ab omni forma ſeparatam, & eſſe extra omnes ſuas cauſas: ergo implicat exiſtere ſine forma. Probatur minor; quia vna ex cauſis à quibus materia dependet, eſt forma: ergo vt intelligatur eſſe extra omnes ſuas cauſas, debet intelligi vt dependens à forma eiuſque cauſalitatem terminans: atqui ſeparata à forma & independenter ab illa exiſtens non intelligeretur nec reuera eſſet dependens ab illa: ergo.

Probatur 2. Implicat contradictionem aliquid eſſe in rerum natura & ſub certo genere, niſi ſit etiam ſub certa & determinata ſpecie, puta dari animal quod nec ſub rationali nec ſub irrationali contineatur: atqui ſi materia exiſteret ſine forma, eſſet ſub certo genere & non ſub determinata ſpecie: ergo implicat, &c. Probatur ſequela minoris: illa enim

materia esset sub genere substantiæ & corporis saltem reductiuè, cum ex se sit vera pars substantiæ corporeæ: quod autem sub nulla esset specie. Probatur: quia species desumitur à forma, cum ab ea petatur differentia speciem constituens: atqui non haberet formam: ergo. Denique non esset potior ratio cur reduceretur ad vnam speciem quàm ad aliam, cum denudata à forma sit indifferenr ad omnes: ergo ad nullam determinatè pertineret.

Obiicies 1. Quæ distinguitur realiter, possunt ab inuicem separari & separata existere: atqui materia & forma realiter distinguuntur: ergo. Probatur maior: quia non est euidentius signum realis distinctionis inter duo quàm eorum separatio.

Respondeo maiorem esse falsam, quamuis enim ea omnia quæ possunt ab inuicem separari realiter distinguantur, non tamen viciſſim omnia illa quæ realiter distinguuntur, possunt ab inuicem separari, quia fieri potest vt vnum in sua essentia & existentia reali dependeat essentialiter ab alio, vt in proposito materia à forma & à composito. Ad probationem maioris constat quid sit dicendum, quamuis enim mutua separatio sit, euidens signum distinctionis, non est tamen conuertibile.

Obiicies 2. Magis dependet accidens à substantia quàm materia à forma: atqui non obstante illa dependentia potest accidens diuinitus existere sine substantia; vt patet de speciebus Sacramentalibus in mysterio Eucharistiæ: ergo multò magis materia sine forma.

Respondeo negando maiorem: magis enim dependet pura potentia nullam de se habens existentiam, ab actu per quem existit, quàm actus imperfectus propriam existentiam habens, ab ente perfecto: materia autem est pura potentia quæ non existit nisi per formam, accidens verò, quamuis sit aliquid imperfectum, habet tamen specialem existentiam distinctam ab existentia substantiæ, vnde ratione illius poterit existere diuinitus separatum.

Instabis: Magis dependet posterius à priori, quàm prius à posteriori: sed accidens est quid posterius substantia vt pote dependens ab illâ, materia verò est prior formâ quæ ex illa educitur: ergo magis dependet accidens à substantia siue subiecto quàm materia à forma.

Respondeo concedendo maiorem si cætera sint paria, negando si non sint vt in proposito, accidens enim habet propriam existentiam, materia non: per quod facilè distinguetur minor in forma. Vel secundò concedo maiorem de eo quod est prius simpliciter, id est quoad entitatem essentiæ & quoad actualitatem existentiæ, quod est esse prius prioritate instantis in quo: nego autem de eo quod est prius tantùm secundùm quid, id est quoad entitatem essentiæ solum, posterius verò seu dependens quoad actualitatem essentiæ: quod est esse prius prioritate tantùm à quo, quæ est mutua: materia autem hoc secundo modo tantùm est prior formâ de hac prioritate naturæ in quo & à quo vide dicta in postprædicamentis.

Obiicies 3. Deus se solo præstare potest quicquid potest cum causa secunda: atqui media causa secunda, scilicet forma, potest efficere vt materia existat: ergo id poterit se solo absque forma præstare.

Respondeo distinguendo maiorem: Quidquid potest Deus cum causa secunda efficienti, concedo: cum causa secunda materiali aut formali, nego: ratio discriminis est, quia causalitas causæ efficientis non dicit imperfectionem, secus verò causalitates materiæ & formæ, cùm hæ non aliter causent quàm sustentando vel informando, ipsumque totum tanquam partes ingrediendo, quæ imperfectio nequit in Deum cadere, neque enim ipse induere potest rationem partis quæ est quid incompletum & subinde imperfectum: atque adeo poterit quidem Deus supplere causalitatem causæ efficientis seu efficere solo quidquid potest cum illa, secus de causalitate

materiæ


materiæ & formæ: cùm ergo Deus faciat materiam existere mediante forma, non vt causa efficienti; sed formali quæ pro effectu formali-primario habet constituere rem in sua essentia actuali, & pro secundario constituere illam actu existentem, non poterit efficere vt materia existat independenter à forma, non defectu potentiæ ex parte ipsius Dei, sed quia res illa ex parte sui implicat.

Dices: Deus potest supplere effectum formalem secundarium alicuius formæ: sed existentia vt nos concedimus est tantùm effectus secundarius formalis formæ substantialis: ergo potest Deus ipse sine forma supplere seu communicare existentiam materiæ.

Respondeo Deum posse (quando aliunde non implicat) supplere effectum formalem secundarium formæ, sed supposito primario, vt de facto egit in mysterio Incarnationis, vbi supposito effectu primario animæ rationalis, nimirum essentiali constitutione humanitatis per ipsius vnionem cum materia, Verbum Diuinum substituit suam propriam subsistentiam & existentiam loco propriæ subsistentiæ & existentiæ humanitatis, quæ in illa debuissent connaturaliter resultare tanquam effectus secundarij animæ rationalis: non supposito autem effectu formali primario formæ non poterit suppleri à Deo secundarius, cùm hic essentialiter præexigat ipsum primarium, & in proposito materia prima non sit immediatè capax existentiæ ob speciale inconueniens quod deduximus in secunda probatione nostræ conclusionis secundæ: vnde infertur in Theologia D. Thomæ, Deum, etsi possit alias omnes creaturas assumere ad suam subsistentiam & existentiam non tamen materiam primam sine forma.

Contra eandem conclusionem ea omnia obiici possunt quæ obiecta fuere contra primam: supponit enim hæc posterior conclusio materiam primam non habere propriam existentiam, si enim illam haberet, negari non posset quominus saltem supernaturaliter

existere posset sine forma : huiusmodi autem obie-ctiones iam habes solutas.



SECTIO IV.

De appetitu materiæ, eiusque ingenerabilitate & incorruptibilitate.

ADuerte appetitum esse duplicem, elicitum scilicet & innatum : Elicitus est actus potentiæ appetitiuæ, siue sensitiuæ siue rationalis, quo quis fertur in bonum cognitum. Innatus verò non est actus, sed quædam inclinatio ab authore naturæ vnicuique indita in bonum sibi proprium & conueniens, qualis est inclinatio lapidis deorsum, & ignis sursum : & hic appetitus non sequitur ex cognitione talis boni, cùm reperiatur in rebus etiam inanimatis. Ex quibus euidenter relinquitur materiam non habere appetitum elicitum ad formas, cùm ex se non sit cognitionis particeps : solùm itaque difficultas est de appetitu innato, pro cuius resolutione.

Dico 1. materiam habere appetitum innatum ad formam.

Probatur : quia nihil est quod appetitu naturali non feratur in bonum sibi proportionatum : atqui forma est bonum proprium & proportionatum materiæ, cùm ab ea totam suam perfectionem, nempe actualitatem essentiæ & existentiæ, emendicet materia : ergo.

Dico 2. materiam primam appetere omnes formas ; eas quidem quas nondum habuit, appetitu desiderij ; alias verò quas modò habet aut iam habuit, appetitu complacentiæ seu delectationis, Con-

clusio non procedit de materia & de formis vt sic, materia enim cœlestis non appetit alias formas, sed satiatur ea quam habet : procedit ergo tantùm de sublunaribus. Pro intelligentia autem.

Nota quod licet desiderium & complacentia primario significent actus potentiæ appetitiuæ quibus fertur in bonum apprehensum, possumus tamen eadem nomina applicare etiam appetitui innato seu naturali inclinationi : vnde sicut actum quo potentia appetitiua, putâ voluntas, fertur in bonum absens & possibile haberi, appellamus desiderium, actum verò quo fertur in bonum præsens aut alias habitum, complacendo sibi in illo, nominamus complacentiam & delectationem ; ita non incongruè appetitum innatum seu naturalem inclinationem in bonum absens & possibile acquiri, appellare possumus desiderium, eam verò quæ fertur in præsens bonum aut alias possessum, delectationem seu complacentiam. Quo posito.

Probatur prima pars conclusionis : Materia prima appetit omnes formas vt successiuè habendas, si ab eis successiuè emendicet totam suam perfectionem : atqui sic est : cùm enim formæ sublunares sint amissibiles, non potest materia prima sub aliquâ illarum perpetuo conseruari, seu ab ea continuò habere suam perfectionem, id est actualitatem essentiæ & existentiæ ; atque adeò necesse est vt eam ab omnibus formis successiuè emendicet.

Secunda verò pars ex eo suadetur, quia appetitus desiderij fertur in bonum absens & acquisitu possibile : atqui tales sunt formæ substantiales quas nondum habuit materia, possunt enim per actionem agentis naturalis in ipsam introduci : ergo appetit illas appetitu innato desiderij, non autem eas quas jam habuit, propter rationem oppositam, quia scilicet non possunt ab agente naturali iterùm produci dispositiones in materia quibus ad eas denuo suscipiendas præparetur, cùm naturaliter nequeat dari reproductio eiusdem effectus.

Dices : Anima rationalis ſeparata à corpore habet appetitum deſiderij naturalis vt ipſi iterum vniatur : ergo viciſſim corpus ſeu materia naturali deſiderio appetit re vnionem animæ , & per conſequens dabitur appetitus deſiderij in materia ad formam quam aliquando habuit,

Reſpondeo animam rationalem non habere appetitum deſiderij ſimpliciter naturalem reſpectu corporis, ſed ſecundùm quid tantùm : quia licet terminus ille ad quem fertur huiuſmodi appetitus, hoc eſt corpus ſiue potius vnio cum corpore , ſit quid naturale ſecundùm ſe, modus tamen quo iteratò fieri aut haberi poteſt nequaquam eſt naturalis ſed ſupernaturalis, ſuperat enim vires totius naturæ re vnio illa animæ cum corpore , & à ſolo Deo miraculosè ac ſupernaturaliter operante ſieri poteſt. Vnde ex oppoſito inferri tantum poteſt materiam habere naturalem ſecundùm quid tantùm deſiderij propoſitionem ad formas quas habuit , quatenus vnio cum illis ſecundum ſe ſpectata eſt quid naturale ; non autem ſimpliciter : appetitus enim innatus deſiderij ſimpliciter talis importat in recto entitatem materiæ , & in obliquo aut de connotato diſpoſitiones ab agente naturali introducibiles quibus mediantibus formam recipiat. Vnde cùm nullum agens naturale poſſit reproducere diſpoſitiones formæ alias habitæ proprias , conſequens eſt non dari in materia appetitum deſiderij ſimpliciter naturalis erga illam. Poſſunt igitur diſtingui ſic omnes propoſitiones : Anima appetit corpus , corpus animam aut formam quam habuit appetitu deſiderii naturalis quod ſit naturale ſimpliciter , id eſt tam ex parte termini quàm ex parte modi quo acquiri poteſt, nego : ſecùndum quid & ex parte & termini tantùm , concedo.

Tertia denique pars concluſionis probatur. Quia appetitus delectationis ſeu complacentiæ eſt de bono præſenti aut alias poſſeſſo : atqui formæ quas modo habet materia aut aliquando habuit , ſunt

bonum præsens aut alias possessum ab ipsa: ergo fertur in eas apetitu complacentiæ.

Obiicies: si materia appeteret appetitu desiderii formas, appeteret destructionem totius, cùm non possit eas adipisci, nisi destructa illa quam modò possidet & subindè corrupto toto in quo est: consequens est falsum: ergo. Probatur minor: quia magis inclinatur pars in bonum totius, quàm in proprium: ergo materia, quæ est pars, non potest appetere destructionem totius ad consequendas formas alias quæ sunt bonum proprium ipsius materiæ.

Respondeo distinguendo maiorem: Appeteret destructionem totius, per accidens & secundariò, concedo: per se & primariò, nego: in eodem sensu nego minorem. Ad probationem dico materiam per se appetere formas quas nondum habuit, & ex consequenti tantùm ac per accidens machinari destructionem totius compositi, tum propter bonum proprium, vt ipsa scilicet sub pluribus formis successiuè recipiendis obtineat perpetuitatem, quàm sub vna, vt pote amissibili, sortiri nequit; tùm etiam ob bonum vniuersi, quod maximè consistit in varietate & multiplicitate generationum quibus mediis ipsum etiam vniuersum quandam perpetuitatem consequitur; magis autem appetit materia bonum totius vniuersi, vt pote vniuersalius & Diuinius, quàm bonum compositi in quo est, & sic potest intuitu illius per accidens & secundariò appetere destructionem totius compositi. Vnde in forma distinguo sic antecedens: Magis inclinatur pars in bonum totius compositi quàm in suum proprium, præcisè qua tale est, concedo: quatenus cedit in bonum vniuersale mundi, nego.

Dices: sequeretur quòd quando materia habet perfectiorem formam, putà rationalem, appeteret imperfectiores: consequens videtur falsum: ergo.

Respondeo hoc esse necessario admittendum, quòd nempe appetat imperfectiores propter maius

bonum tùm ipſius materiæ vt nimirùm perpetuitatem quandam conſequatur quam nequit habere ſub tali forma perfectiori, vt potè amiſſibili, tùm ipſius vniuerſi, ſi enim materia habens formam rationalem, non appeteret alias, non generaretur nouum compoſitum corrupto homine, ſicque materia quæ extra compoſitum exiſtere nequit, periret, & ita paulatim decreſceret vniuerſum.

Inſtabis: Priuatio formæ perfectioris eſt malum materiæ: atqui appetendo formas imperfectas, appeteret priuationem perfectioris: ergo appeteret proprium malum, quod eſt abſurdum.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem: priuatio formæ perfectioris ſecundùm ſi conſideratæ eſt malum materiæ, concedo: vt ordinata ad maius bonum, ſcilicet ad conſeruationem ipſius materiæ, & bonum vniuerſi, nego: hoc autem ſecundo modo & non primo appetit illam materia, vnde negatur conſequentia.

Ex dictis colliges principium radicale corruptionis compoſitorum ſublunarium eſſe materiam primam quatenus appetit formas omnes ſucceſſiuè habendas, formas, inquam, quæ exigunt qualitates & diſpoſitiones expulſibiles per alias contrarias, ex quarum ſubinde expulſione ſequitur expulſio ipſius formæ, atque adeo corruptio totius: principium verò proximum eſſe huiuſmodi contrarias qualitates quæ inter ſe continuò dimicant & quarum vna tandem vincit & ſuperat alias, ſicque deſtruitur temperamentum ſeu diſpoſitio debita, atque adeò & compoſitum diſſoluitur.

Dices: Appetitus materiæ ad alias formas oritur ex eo quòd non ſatiatur eâ quam habet actu: ergo ipſa forma eſt prima radix corruptionis.

Reſpondeo negando conſequentiam: quòd non ſatietur formâ quam habet, oritur rurſus ex ampliſſima capacitate & potentialitate materiæ quæ nullâ formâ ſatiari poteſt,

Dico tertiò materiam primam eſſe ingenerabilem

& incorruptibilem : non eſt ſenſus eam eſſe improducibilem & indeſtructibilem, cùm á Deo creata ſit, ſiue potiùs concreata ad creationem totius, & ab ipſo annihilari queat ; ſed quod non poſſit fieri per generationem aut deſinere per corruptionem propriè dictam.

Prima pars probatur : Generari eſt fieri ex præſuppoſito ſubiecto : ſed materia nequit fieri ex præſuppoſito ſubiecto : ergo. Maior eſt euidens : in hoc enim differt generatio à creatione, quòd hæc eſt productio rei è nihilo, illa verò ex aliquo ſubiecto præſuppoſito. Minor verò conſtat ex dictis ſectione prima, materia enim eſt primum ſubiectum ex quo omnia fiunt, & in hoc conſiſtit eius eſſentia : ergo non præſuppónit aliud ex quo ipſa fiat, aliás non eſſet primum.


Secunda verò pars ratione oppoſita ſuadetur : corrumpi enim eſt deſinere eſſe remanente ſubiecto, & in hoc differt corruptio ab annihilatione quæ eſt totalis definitio rei, ita vt nihil illius ſuperſit : ſed materia prima nequit deſinere remanente aliquo ſubiecto, cùm ipſa ſit primum ſubiectum, quod præſupponitur aliis, quodque reſiduum eſt illis deſtructis: ergo.

Objicies : Si materia eſſet incorruptibilis, foret perfectior formâ & compoſito quod corrumpitur, nam incorruptibile eſt perfectius corruptibili : conſequens eſt falſum : ergo.

Reſpondeo negando ſequelam maioris : & ad probationem reſpondeo incorruptibile eſſe perfectius corruptibili, cæteris paribus, ſi nimirum vtrumque ſit ens actu, ſi verò corruptibile ſit ens actu, incorruptibile verò ens merè potentiale, non erit incorruptibile perfectius corruptibili ſimpliciter loquendo, ſed tantùm ſecundùm quid ex qua parte eſt incorruptibile.


Quæres : Quare compoſita vocantur corruptibilia, cùm conſtent materia incorruptibili ? Reſpondeo hoc ideo eſſe quia incorruptio habet rationem boni,

corruptio verò rationem mali, bonum autem ex integra causa sumitur, malum verò ex quocumque defectu: vnde res debent dici corruptibiles cùm habent aliquam partem corruptibilem, vel saltem vnio partium est dissolubilis, qua dissoluta sequitur destructio totius: ob primam rationem res aliæ ab homine dicuntur corruptibiles, propter secundam verò, ipse etiam homo dicitur & est corruptibilis.




DISPVTATIO III.

De duobus aliis principiis entis naturalis, forma scilicet & priuatione.



SECTIO I.

De forma substantiali.



ICO 1. Datur forma substantialis. Conceditur hæc conclusio ab omnibus, eius tamen exacta probatio multùm vtilis erit. Et in primis est certa de fide, quoad animam rationalem, quam dari & esse veram formam hominis, esse à corpore naturaliter separabilem definit Concilium Lateranense tertium sub Leone decimo sess. 8.

ex quo facilè deducitur probatio pro aliis formis ſubſtantialibus: ſiquidem materia hominis eiuſdem eſt rationis cum materia aliorum: ergo ſi illa ſit quid incompletum in genere ſubſtantiæ, informetúrque ſubſtantiali forma, etiam materia aliorum, ſubindéque admittendæ erunt etiam in aliis formæ ſubſtantiales.

Probatur inſuper, ſic: Nomine formæ ſubſtantialis intelligitur primus actus ſeu prima perfectio materiæ, cum ea totum ſubſtantiale conſtituens: atqui datùr huiuſmodi: ergo. Maior patet; forma enim iuxta nominis etymologiam dicitur id quod format & polit rudem aliquam materiam ſiue ſubiectum, quod eſt actuare & perficere id quod potentiale eſt & imperfectum: ergo idem eſt forma ac actus ſeu perfectio, idemque proinde prima forma ac primus actus prima perfectio: nomine autem formæ ſubſtantialis intelligitur ea forma quæ prima eſt in materia, illa enim eſt quæ ſubſiſtit per ſe aliiſque ſubſtat, aut potiùs conſubſiſtit aut conſubſtat: ergo à primo ad vltimum nomine formæ ſubſtantialis intelligi debet primus actus & prima perfectio actuans & perficiens materiam, ſubindéque cum illa conſtituens primum compoſitum, quod idem eſt ac ſubſtantiale, vtpote non præſupponens aliud, ſed per ſe ſubſiſtens, aliiſque ſubſtans. Ex quibus etiam minor primi ſyllogiſmi facilè ſuadetur: quia neceſſario aſſignari debet primus actus & prima perfectio immediatè actuans & perficiens materiam, nullamque priorem in ea præſupponens (alias daretur proceſſus in infinitum) ſed quæ aliis omnibus præſupponatur: ergo datur primus actus in materia conſtituens cum ea primum, ſubindéque ſubſtantiale compoſitum.

Probatur 2. Quando ex ligno v. g. fit ignis, perit forma ligni, & acquiritur in materia illa forma ignis: atqui illæ formæ ſunt ſubſtantiales: ergo dantur formæ ſubſtantiales. Probatur minor: tum quia aliàs, cùm materia remaneat, (quippe quæ eſt ſubiectum

commune vtrique) nihil substantiale periret, & ita eadem esset substantia, ignis ac ligni: tum quia constituunt diuersas species substantiales, ignis enim & lignum diuersæ sunt speciei intra genus substantiæ. Ex quo.

Probatur 3. quia quælibet res naturalis est determinata ad certam aliquam speciem: atqui non potest determinari nisi per formam substantialem. Minor probatur, nam præter formam substantialem duo tantùm sunt in composito naturali, materia scilicet, & formæ accidentales: atqui res nequit determinari ad certam speciem beneficio materiæ quæ est eiusdem rationis in omnibus, nec per formas accidentales, cum non distinguant essentialiter vnum ab alio, quod requiritur ad rationem speciei, sed solùm accidentaliter: ergo.

Probatur denique: quia assignari debet in qualibet re principium substantiale diuersarum perfectionum, proprietatum, aut operationum quæ ipsi conueniunt: atqui illud non est materia, aliàs cum hæc sit eiusdem rationis in omnibus, eædem & non diuersæ essent in illis perfectiones: ergo est forma substantialis: declaratur magis hæc ratio: Accidentia dimanant à substantia tanquam à principio radicali: non possunt autem diuersa accidentia aut proprietates, quæ diuersis rebus conueniunt, dimanare à materia, cum hæc sit eadem in omnibus: ergo dimanant à forma, vel quod idem est, à toto composito ratione formæ substantialis, quæ subinde datur.

Dico secundò: legitima est communis illa definitio formæ substantialis, quòd videlicet sit actus primus corporis Physici (id est materiæ) seu, actus substantialis vnum per se constituens cum materia. Patet ex dictis: dicitur enim Actus, in quo conuenit forma substantialis cum accidentali, quæ est actus seu perfectio subiecti: additur, Primus, per quod differt ab illa, quæ cùm præsupponat ipsam formam substantialem, non est nisi actus secundus: subditur denique ly corporis physici, seu materiæ

tùm vt per hoc denotetur formam substantialem, de qua hic agitur, non esse actum completum sed incompletum & informantem, ad differentiam angelorum qui dicuntur & sunt formæ non informantes, & incompletæ, sed completæ & separatæ ac subsistentes: tùm quia propria ratio & differentia actuum informantium sumitur ex ordine ad potentias quas nati sunt perficere; ideo cum forma, substantialis debeat actuare materiam, rectè definitur per ordinem ad illam. Quòd si per corpus physicum intelligere velis totum compositum physicum seu naturale, sensus erit formam substantialem esse actum primum corporis physici constitutiuum. Dicitur verò corpus physicum siue materia prima siue totum compositum, ad differentiam corporis mathematici, id est ad mathematicæ considerationem spectantis, quod est ipsa quantitas trinam habens dimensionem. Ex hac autem primæ definitionis explicatione manifesta etiam relinquitur secunda.

Dices: si forma substantialis foret actus, vel foret actus purus aut simplex, vel compositus ex actu & potentia: non primum, quia solus Deus est actus purus: nec secundum, quia iam esset quid completum subindéque ex materia & forma non fieret vnum per se: ergo.

Respondeo in primis non posse dici, propriè actum purum, actus enim purus dicitur propriè qui nec componitur ex potentia vlla, nec ordinatur ad componendum cum illa; forma vero ordinatur ad componendum cum materia quæ est pura potentia: sumendo autem actum purum lato modo prout idem est ac simplex seu non compositus, tametsi in compositionem veniat, respondendum est cum distinctione, formam scilicet esse actum purum seu simplicem in ordine Physico, id est, non includentem in se potentiam physicam quæ est ipsius compars, nempe materiam: esse verò compositum in ordine metaphysico ex gradu communi & differentiali. Nec inde sequitur fore ens completum, quia huiusmodi

gradus non sunt propriè generici & differentiales, sed impropriè & reductiuè solùm. Id vero quod subditur, solum Deum esse actum purum, intelligendum est de actu omnino puro per exclusionem omnis omnino potentialitatis ex qua aut cum qua componatur.

Instabis: Si forma substantialis ordinetur ad componendum totum physicum, sequitur ipsam recipi in materia: atqui hoc videtur falsum, iam enim non esset substantia, sed accidens, vt pote ens in alio.

Respondeo negando minorem: & ad probationem respondeo sequi solùm quod non sit substantia completa, non vero quod non sit substantia incompleta. Ad id vero quod subditur, respondeo esse ens in alio vt in subiecto inhæsionis & tanquam non consubsistens ipsi sed purè inhærens, esse proprium accidentis: esse vero ens in alio vt in subiecto informationis tanquam ipsi consubsistens, esse proprium formæ substantialis.

§. I.

An & quæ formæ substantiales educantur de potentia materiæ.

DIco 1. Formæ substantiales corporeæ in generatione substantiali educuntur de potentia materiæ. Pro intelligentia.

Aduerte primo formas corporeas seu materiales eas esse quæ ita sunt immersæ materiæ vt ab ipsa omnino dependeant in fieri, esse & conseruari, atque adeo & in operari, ita vt sine illa nequeant existere saltem naturaliter, nec vllas operationes independenter à corpore siue ab organo corporeo exercere: quales sunt omnes formæ rerum corporearum, præterquam anima rationalis, quæ ob rationem oppositam est forma spiritualis, ex eo sci-

licet quod non dependeat à materia seu corpore nec in fieri, esse & conseruari, si quidem naturaliter existit separata ab illo: nec in suis propriis operationibus, intellectione scilicet & volitione, quas in statu etiam separationis exercet.

Aduerte secundo quod sicut effectum poni extra suam causam efficientem, non denotat ipsum praexstitisse in illa secundùm suam entitatem propriam & indiuidualem, & postea extrahi ex illa; sed tantùm quod praefuerit in potentia eius actiua tanquam producibilis ab illa: ita formam educi de potentia materiae non est eam priùs fuisse in illa veluti latitantem, & postmodum ex illa extrahi & veluti palam fieri aut detegi vt nonnulli antiqui somniarunt; sed solùm praefuisse in potentia eius passiua tanquam producibilem (ab agente) dependenter ab illa influente in suo genere, causae scilicet materialis receptiuae. Hoc posito.

Probatur conclusio: Formam educi de potentia subiecti est eam fieri actu in ipso dependenter ab ipso vt à causa materiali & receptiua, in cuius potentia praecontinebatur: atqui formae corporeae in generatione substantiali producuntur actu in materia dependenter ab ipsa vt recipiente, in cuius potentia antea continebantur, ergo educuntur de potentia illius. Maior est certa, & continet duas conditiones ad veram eductionem requisitas, quarum prima est quòd subiectum è quo forma educenda est, praesupponatur vel priùs tempore productum, vel saltem priùs naturâ per actionem distinctam ab eductione formae; nisi enim subiectum hoc modo praecederet, non diceretur forma praecontineri in potentia receptiua eius: altera est, quòd forma per aliam & distinctam actionem producatur in huiusmodi materia seu subiecto praesupposito dependenter ab illo in genere causae materialis concurrente. Ex quibus etiam facilè probari potest minor: nam in generatione substantiali praesupponitur materia quae ab initio mundi producta est, neque agens naturale potest

agere nisi eam præsupponat, & in hoc differt generatio à creatione, quod ista est productio rei ex nihilo, subindéque nullum præsupponit subiectum aut materiam; illa verò est productio rei ex præsupposito subiecto. Deinde forma corporea fit actu in materia dependenter ab ipsa vt recipiente, siquidem ex sua propria ratione hoc habet vt non possit fieri, esse & conseruari sine materia.

Dico 2. Anima rationalis non educitur de potentia materiæ.

Probatur: quamuis enim in generatione hominis præsupponatur materia, anima tamen rationalis non fit dependenter ab illa vt causa materiali recipiente vel substentante, cùm sit forma spiritualis, subindéque independens à materia in fieri esse, & conseruari: ergo non fit per eductionem, sed per actionem Dei creatiuam qua ex nihilo eam producit, intra corpus quidem, sed independenter ab illo; agens verò naturale seu generans per aliam actionem vnit illam cum corpore.

Dico tertiò: formæ cœlorum & elementorum in prima rerum productione non fuerunt eductæ de potentia materiæ.

Probatur: Illæ dumtaxat formæ educuntur de potentia subiecti, quæ illud præsupponunt vel prius tempore, vel priùs naturâ productum per actionem distinctam, & deinde fiunt actu in ipso concurrente in genere causæ materialis & receptiuæ: atqui formæ cœlestes & elementares in prima rerum creatione non præsupposuere materiam priùs tempore vel prius natura productam per actionem distinctam ab ea qua ipsæ fuerunt productæ: ergo non fuerunt eductæ de potentia illius. Prima pars minoris, quod nimirum in prima rerum productione materia non præcesserit formas cœlestes aut elementares, est euidens; nam vel præcessisset sub aliis formis, & hoc non, cùm primæ formæ sub quibus fuit producta materia, fuerint cœlestes & elementares vt supponimus ex illo, Gen. 1. *In principio creauit Deus cælum &*

terram, id eſt cœlum & elementa vt habet communis interpretatio: vel denudata ab omni forma, & hoc etiam dici nequit, cum repugnet materiam exiſtere ſine forma. Secunda verò pars probatur, ſi enim materia priùs natura fuiſſet producta per actionem diſtinctam à productione formarum, habuiſſet & haberet proprium eſſe diſtinctum ab eſſe formæ & compoſiti, ſicut enim actio productiua terminatur ad eſſe ſeu exiſtentiam effectus, ita diſtincta productio ad diuerſum eſſe: conſequens eſt falſum, vt ſupra oſtenſum eſt dùm probauimus non habere propriam exiſtentiam: ergo. Vnde.

Inferes materiam & formam in prima rerum productione fuiſſe creatas, aut potius concreatas ad creationem totius: cum enim materia facta non fuerit ex aliquo præſuppoſito, ſiquidem ipſa eſt primum ſubiectum omnibus aliis præſuppoſitum: nec forma tunc fuerit producta per eductionem è materia, vt oſtenſum, eſt; aliunde verò non potuerint per actiones partiales creari, cum non habeant partiales ſubſiſtentias & exiſtentias, vt alias oſtenſum eſt: neceſſariò dicendum eſt illas fuiſſe concreatas ad creationem totius, ſicut diximus illas ſubſiſtere & exiſtere per ſubſiſtentiam & exiſtentiam illius.

Obiicies contra primam concluſionem: Omnes formæ creantur quando fiunt, ſicut & quando deſinunt, annihilantur: ergo non educuntur de potentia materiæ.

Reſpondeo negando antecedens quoad vtramque partem, cùm in quotidiana rerum generatione formæ materiales fiant ex præſuppoſito ſubiecto, & corruptione deſinant remanente ſubiecto, quod creationi & annihilationi repugnat, creatio enim eſt productio rei ex nihilo, annihilatio vero eſt deſtructio illius nihilo eius remanente.

Obiicies contra ſecundam: Formam educi de potentia materiæ eſt eam fieri actu quæ antea continebatur in potentia illius: atqui anima rationalis

in generatione substantiali fit actu in materia, in cuius potentia receptiua antea continebatur, quatenus materia capacitatem habebat ad eam recipiendam: ergo educitur de potentia illius.

Respondeo negando minorem: formam enim præcontineri in potentia materiæ est eam non esse natam produci nisi dependenter à materia, præsupposita & concurrente in genere causæ materialis, quod non competit animæ rationali quæ in sui productione & conseruatione est independens à materia.

Obiicies contra tertiam conclusionem: Vt aliqua forma dicatur educi de potentia subiecti, non requiritur quòd illud subiectum præcedat illam tempore, sed sufficit quod præsupponatur prius naturâ productum per actionem distinctam ab eductione formæ, & hac de causa gratia sanctificans, quæ fuit communicata Angelis & primis parentibus in primo instanti reali suæ creationis aut productionis, dicitur educta de potentia obedientiali animæ aut substantiæ ipsorum, quia scilicet prius naturâ fuit producta substantia Angelica aut protoparentis anima per vnam actionem, & per aliam producta fuit gratia in huiusmodi subiectis dependenter à concursu materiali ipsorum: atqui, quamuis materia prima in prima rerum productione non præcesserit tempore formas cœlestes & elementares, fuit tamen prius natura producta per propriam actionem distinctam à productione formarum: ergo formæ fuerunt eductæ de potentia illius. Probatur minor specialiter quoad materiam elementorum: actio enim qua illa producta fuit initio mundi huc vsque perseuerat, non perseuerante actione qua productæ fuere formæ elementares: ergo fuit actio distincta. Probatur antecedens: Actio per quam Deus produxit talem materiam est eadem cum illa qua eam conseruat, cum conseruatio nihil aliud sit quam continuata rei productio: atqui actio conseruatiua materiæ huc vsque perseuerat, secus vero actio conseruatiua formæ ele-

mentaris initio productæ, cum entitas materiæ perseueret adhuc, non verò entitas formæ quæ desiit ad corruptionem illius compositi elementaris quod primò fuit productum : ergo.

Confirmatur & explicatur : Materia quæ constituit omnia mixta, fuit initio sub formis elementaribus, in principio enim creauit Deus elementa, ex quibus omnia alia formata sunt : ergo conseruatur adhuc materia illa, destructis, saltem ex parte, formis elementorum initio productorum.

Respondeo negando minorem : ad probationem nego antecedens : ad cuius probationem distinguo maiorem : Actio qua Deus primò produxit materiam est eadem cum illa qua eam conseruat, perseuerante illo composito elementari, (puta terra) ad cuius creationem illam produxerat, concedo : destructo tali composito, nego. Similiter ad minorem: Actio conseruatiua materiæ huc vsque perseuerat distinguo : illa eadem actio qua Deus conseruabat illam ad conseruationem illius primi compositi quod supponimus iam destructum, nego : alia distincta qua conseruat compositum succedens illi priori concedo : sicut enim materia nequit produci nisi ad productionem totius compositi, ita nec conseruari nisi ad illius conseruationem, proindéque actio per se primò conseruatiua totius, ex consequenti & secundariò conseruat materiam : vnde fit quod cessante composito, sub quo fuerat primò producta materia, cessauit etiam actio qua conseruabatur sub illo : sed tamen sicut in eodem instanti reali quo materia desinit esse pars illius compositi quod corrumpitur, incipit esse pars compositi de nouo geniti, & existere per eius existentiam, ita in illo ipso instanti quo desinit conseruari per actionem conseruatiuam compositi præcedentis, incipit conseruari per actionem productiuam & conseruatiuam compositi subsequentis, cùm ab ea emendicet suum esse existentiæ. Ex quibus patet ad confirmationem.

Dices : Actio illa productiua noui compositi statim desinit : ergo non est conseruatiua eius, nec materiæ. Confirmatur : Conseruatio est continuata productio, vt dictum est : ergo actio conseruatiua debet esse tantæ virtutis, vt quantum est de se, sit productiua illius quod conseruat : atqui actio productiua illius compositi subsequentis, non est nata producere materiam : ergo non est conseruatiua. Probatur minor, quia materia, cùm non sit generabilis, sed possit tantùm produci ex nihilo, debet fieri per actionem creatiuam : atqui prædicta actio non est creatiua, sed solùm generatiua compositi : ergo.

Respondeo actionem productiuam noui compositi posse dupliciter considerari : primò vt est à causa secunda seu agente creato & sic dicitur actio generatiua, statimque cessat producto effectu, nec est, conseruatiua illius : secundò vt est à causa prima seu à Deo, & sic non solùm est productiua effectus sed etiam conseruatiua illius, est enim concursus quo Deus simul cum agente secundo producit effectum eumque deinceps conseruat : & hæc, cùm sit actio diuina „est eminenter creatiua, atque adeò talis naturæ & virtutis vt non solùm attingat formam aut vnionem eius cum materia, sicut concursus agentis naturalis cui se accommodat) sed etiam materiam, quantum est de se, producere & creare possit, aut meliùs concreare vt sæpiùs dictum est.

Obiicies 2. contra eandem conclusionem : Quando ex speciebus Sacramentalibus fiunt vermes aut cineres, debet necessariò produci materia per actionem propriam & distinctam : ergo potuit idem fieri in prima productione elementorum, subindéque forma ex illa educi. Probatur antecedens : si materia illo instanti reali, quo vermes producuntur, non fieret per actionem distinctam, scilicet per creationem, vel per conuersionem quantitatis in ipsam ex qua per aliam actionem agentis naturalis educeretur forma vermis aut cineris, huiusmodi vermes aut

ineres non fierent per generationem : consequens
st contra communem loquendi modum iuxta quem
icimus vermes, illos, cineres aut huiusmodi generari
x speciebus sacramentalibus.

Respondeo negando antecedens, aliàs enim ma-
eria haberet propriam existentiam : ad probatio-
em respondeo quod cineres & vermes in illo casu
on generantur propriè loquendo cùm nulla ibi sit
ateria ex qua formæ illæ educantur ; sed impro-
riè & lato modo dicuntur generari ab agente na-
rali ex speciebus Sacramentalibus, quatenus ratio-
e actionis quam exercet circa illas, & dispositio-
um quas introducit, ad quas connaturaliter debe-
t sequi eductio formæ, subindéque totius substan-
iis generatio, si adesset materia, veluti obliga-
· Deus & determinatur quodammodo (ex suppo-
ione præcedentis miraculi quo materiam panis
nuerterat in corpus Christi) vt produeat & sub-
uat totum illud compositum, quod iuxta exigen-
m dispositionum introductarum esset in eo in-
nti generandum, idque vel per actionem creati-
n, vt nonnulli volunt, vel per conuersionem
antitatis seu specierum in ipsum : vnde non in
am materiam, sed in totam substantiam vermis
cineris transeunt : neque est ibi nouum miracu-
 propriè loquendo, sed huiusmodi conuersio aut
ductio connaturaliter sequitur ex miraculo præ-
enti. Ad illum autem communem modum lo-
ndi respondeo non esse intelligendum nisi de
eratione impropriè dicta sensu explicato:

Plures aliæ obiectiones aduersus eandem conclu-
em fieri possent, sed omnes omnino soluuntur
eodem principio quo præcedentes aduertendo
cet & in mente habendo semper duas illas con-
ones ad eductionem requisitas, de quibus
ra.

§. 2.

Vtrùm formæ accidentales educantur de potentia subiecti.

ADuerte 1. quòd sicut materia est subiectum formæ substantialis, ita totum compositum est subiectum formarum accidentalium materialium, vt dicemus in libris de generatione, quamuis accidentia spiritualia subiectentur in anima. Est ergo difficultas vtrum sicut formæ substantiales materiales in quotidianis rerum generationibus educantur de sinu materiæ, ita accidentales educantur de potentia sui subiecti.

Aduerte 2. Quædam esse accidentia quæ habent necessariam connexionem cum subiecto ita vt necessariò producantur ad productionem ipsius, saltem connaturaliter loquendo, & per eandem actionem, & hæc accidentia sunt propriæ passiones; quædam verò, quæ non habent talem connexionem, sed produci debent per actionem distinctam à productione subiecti, vt calor respectu aquæ. His positis.

Dico 1. Propriæ passiones non educuntur de potentia sui subiecti: sed si forma substantialis, ex qua oriuntur, fiat per eductionem, ipsæ etiam coëducuntur; si per creationem, concreantur.

Probatur: Forma quæ producitur ad productioctionem subiecti; non educitur de potentia illius: atqui proprietates producuntur ad productionem subiecti. neque enim vt alias dicemus, fiunt per actionem propriam quæ ad ipsas primariò & immediatè terminetur, sed à toto dimanant ex vi illius actionis qua illud producitur: ergo proprietates non educuntur, sed si actio productiua subiecti sit eductio aut generatio, coeducuntur aut congenerantur, vt proprietates ignis v.g. equi, & hu-

odi, si creatio, concreantur, vt proprietates
næ rationalis, intellectus & voluntas. Maior hu-
rgumenti patet ex sectione præcedenti, formam
n educi est fieri dependenter à subiecto priùs
pore vel saltem naturâ per actionem distinctam
ducto.


ico 2. Omnes formæ accidentales, quæ necessa-
cum subiecto non habent connexionem: educun-
le potentia illius: connaturales quidem, vt scien-
de potentia connaturali; supernaturales autem,
ratia, fides, & aliæ de potentia obedientiali quæ
aliud est quàm ipsum subiectum, puta anima,
non repugnantia ad recipiendas huiusmodi
nas ab agente supernaturali.

robatur: Quia omnes illæ formæ dependent à
ecto in fieri, esse, & conseruari; & insuper præ-
onunt ipsum per aliam actionem productum: at-
nihil aliud requiritur ad eductionem: ergo. Prima
maioris patet: illa enim accidentia nequeunt
, esse aut conseruari absque subiecto. Secunda
n non est minùs euidens, accidentia enim quæ
habent necessarium nexum cum subiecto,
producuntur ad productionem ipsius, sed per
onem distinctam: ergo præsupponunt illud per
n actionem productum. Si autem gratia sancti-
is interdum dicatur creari, vt psalmo quinqua-
no, *Cor mundum crea in me Deus*, id intelligi-
moraliter, quia fit ex nullis præsuppositis meri-
; non autem physicè, quasi fiat ex nullo præ-
posito subiecto, seu independenter ab anima
genere causæ materialis concurrente, eo modo
ipsa anima fit independenter à materia.

Obiicies: Accidentia saltem violenta (vt calor
ectu aquæ) & supernaturalia non præcontinen-
in potentia subiecti: ergo non educuntur ex illa.
batur antecedens: Accidens quod est contra in-
ationem subiecti aut supra naturam eius non
continetur in potentia illius: atqui acciden-
violenta sunt contra inclinationem & natu-

ram ſubiecti, ſupernaturalia verò ſupra illam: ergo.

Reſpondeo huiuſmodi accidentia non præcontineri, vt probat argumentum, in potentia naturali ſubiecti quæ eſt poſitiua inclinatio ad formam recipiendam; benè autem in potentia obedientiali ipſius, quæ nihil aliud eſt quàm non repugnantia ad ea recipienda; vel in potentia violenta, quæ dicit renitentiam, ſed ab agente ſuperabilem.



SECTIO II.

De priuatione.

EX dictis diſputatione prima de principiis in communi, conſtat priuationem, prout eſt carentia formæ in materia apta, eſſe vnum ex principiis entis naturalis in fieri, ſeu generationis quæ eſt mutatio de huiuſmodi priuatione ad formam. Suppoſitis autem his quæ ibi diximus, ſolum reſtat hic reſoluendum vtrum priuatio conueniat vniuocè in ratione principij cum materia & forma. Ad quod reſpondendo.

Dico priuationem non conuenire vniuocè in ratione principij cum materia & forma, ſed tantum analogicè analogia proportionalitatis.


Prima pars probatur. Enti & non enti in quantum tali nihil poteſt dari commune vniuocum: ſed priuatio eſt non ens, & in quantum non ens eſt principium; materia verò & forma ſunt entia & in quantum talia principiant ſeu conſtituunt ens naturale: ergo ratio principij non conuenit illis vniuocè. Minor patet ex dictis loco citato: priuatio enim concurrit ad generationem per modum termini à


quo, materia verò per modum ſubiecti, & forma
er modum termini ad quem: atqui terminus à quo
enerationis eſt non eſſe formæ, ſubiectum verò &
erminus ad quem ſunt entia: ergo priuatio eſt prin-
ipium in quantum non ens, &c.

Secunda verò pars conſtat: ratio enim principij
oportionaliter dicitur de illis tribus, quæ propor-
onalitas in hoc conſiſtit quod ſicut materia & for-
a per ſe & intrinſecè requiruntur ad generationem
r modum ſubiecti & termini ad quem, ita priua-
o per modum termini à quo.

Obiicies: Ratio ſcibilis vniuocè dicitur de ente
li & de ente rationis, quamuis hoc vltimum ſit
erà non ens. ergo & ratio principij poterit eſſe
iuoca, reſpectu materiæ & formæ quæ ſunt entia &
tes compoſiti, & reſpectu priuationis quæ eſt non
. Antecedens patet, aliàs enim logica non eſſet
uocè ſcientia cum aliis.


Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Ratio ſci-
s eſt vniuoca enti reali & enti rationis vt ens eſt
modo & habet paſſiones de ſe demonſtrabiles,
cedo: ſub ea ratione qua ſimpliciter eſt non ens,
o: & pariter nego conſequentiam, quia priuatio
ſt principium eſt merum non ens, ſcilicet non
formæ in ſubiecto apto.






DISPVTATIO IV.

De composito naturali.



SECTIO I.

Vtrum ens naturale intrinsecè & essentialiter componatur ex materia & forma.



PINIO fuit Auerrois & nonnullorum veterum philosophorum solam formam esse totam quidditatem entis naturalis, subindéque materiam non esse de intrinseca eius ratione, eo proportionali modo quo subiectum non est de ratione intrinseca accidentis. Contra quos.

Dico ens naturale intrinsecè & essentialiter componi ex materia & forma, ita vt non sola forma, sed etiam materia ad intrinsecam eius rationem & constitutionem pertineat.

Probatur: si ens naturale, puta homo, constaret intrinsecè & essentialiter solâ formâ, non verò materia,

ria, sequeretur ipsum manere quoad totam suam
entiam intrinsecam, destructo corpore, dummodò
maneat forma; consequens est apertè falsum, aliàs
im non diceretur destrui aut corrumpi homo,
ando anima eius quæ immortalis est separatur à
rpore: ex quo vlterius contra fidei principia se-
eretur Christum in triduo mortis fuisse hominem,
n suppositum diuinum manserit vnitum animæ:
go.
Probatur 2. Quod ponitur in definitione quiddi-
ua entis naturalis, est de intrinseca eius essentia:
ui non solum forma, sed etiam materia ponitur
lefinitione essentiali physica entis naturalis: er-
Maior constat ex discrimine inter substantiam
accidens, quòd cùm substantia sit ens absolutum
ndependens in sua quidditate ab omni extrinseco,
il extrinsecum ponitur in eius definitione: at verò
lefinitione essentiali accidentis non solùm ponitur
quod est de intrinseca eius constitutione, sed
m aliquid extrinsecum, puta subiectum aut ob-
um, eò quòd ab illis essentialiter pendeat. Mi-
verò non est minus euidens, quia non esset vera
nitio physica si diceretur, E. G. Homo est quid
ltaris animâ, nisi adderetur, & corpore; sicut
ue hæc esset vera definitio metaphysica, Homo
rationalis, nisi etiam poneretur animal, dicendo
animal rationale: bona enim definitio hominis
lterius cuiuslibet exprimere debet non solùm id
d est ipsi proprium, sed etiam id in quo conue-
cum aliis.
Obiicies si materia vt sic esset de essentia entis
ralis, etiam hæc materia singularis esset de essen-
huius numero entis naturalis, puta Petri: atqui
est falsum: ergo. Probatur minor: illud non
inet ad intrinsecam rei essentiam, quod variatur
riata essentia: atqui inuariata essentia Petri va-
r eius materia, vt pote quæ continuò dilabitur
loris naturalis depascentis humidum radicale:

Durandus & Suares putant ab hoc argumento facilè ſeſe expedire negando ſequelam maioris, & dicendo hoc numero compoſitum non conſtare eſſentialiter ex hac numero materia, ſed ſolùm ex hac numero forma, & ex materia quacunque ſeu indeterminata. Sed hæc ſolutio eſt omnino voluntaria & falſa: nam de ratione huius numero compoſiti eſt id à quo formaliter habet quod ſit tale numero compoſitum: atqui id habet ab hac numero materia determinata & ſigillata per ordinem ad certam & determinatam quantitatem, vt alias oſtendemus: ergo. Vnde.

Reſpondeo, quòd quamuis materia Petri varietur materialiter loquendo, quatenus vi caloris naturalis aliquid ex ea deperditur & aliud per nutritionem paulatim acquiritur; formaliter tandem loquendo manet eadem numero quamdiu Petrus viuit, quia materia de nouo acquiſita tranſit in præexiſtentem ſitque vna numero cum illa per hoc quod incipit ad eandem numero quantitatem & formam ſigillari, atque adeò ſortitur eandem vnitatem numericam quam habebat materia deperdita. In forma ergo conceſſa maiore, nego minorem. Ad probationem concedo maiorem, diſtinguo minorem: Variatur materia, formaliter, nego: materialiter, concedo, ſimiliter ad conſequentiam, ergo hæc numero materia, formaliter, non eſt de eſſentia huius compoſiti, nego: hæc numero materialiter, tranſeat.

Dices: ſi hæc numero materia ſit de eſſentia huius hominis, non poterit idem numero homo reſurgere: atqui hoc eſt contra ſcripturam, Iob decimo nono,


Quem viſurus ſum ego ipſe & non alius.

Et in carne mea videbo Deum Saluatorem meum.

Probatur ſequela maioris: quia fieri poteſt vt duo homines habeant diuerſis temporibus eamdem numero materiam, illi maximè qui carnibus veſcuntur humanis vt contigit tempore obſidionis Hieroſolymitanæ, & apud barbaros & ſilueſtres homines noui mundi frequentiùs accidit: ergo eadem nume-

materia non poterit vtrique restitui, atque adeò
ter illorum non resurget idem numero homo.
Durandus & Suares consequenter ad sua principia
ponentes hanc numero materiam non esse de es-
tia huius numero hominis, respondent sufficere
hoc vt idem numero homo resurgat, quod ea-
m numero anima reuniatur cuiuis materiæ sublu-
i: sed quia hæc solutio falsum supponit, vt vidi-
s, ideò.
Respondeo negando sequelam maioris: & ad eius
bationem respondeo cum Diuo Thoma 4. con-
gentes cap. octuagesimo primo, quod si contingat
s homines, habuisse eandem portionem mate-
, illi reddetur in resurrectione qui eam in pri-
sui productione habuerat; si verò contigerit
mque habuisse eandem in prima sui productio-
tunc illi restituetur qui primus illam habuerit,
r verò resurget cum materia quam sibi per nu-
onem acquisierat aut vi caloris naturalis deper-
erat.
Dices: Quid si materia illa per nutritionem ac-
ita aut vi caloris deperdita spectauerit ad alium
inem in prima sui productione; aut si puer ali-
constans materia quæ fuerit alterius in prima sui
luctione decesserit nulla per nutritionem acqui-
materia?
Respondeo negando suppositum, quod nimirum
asus sint euenturi: supposito enim diuino de-
o de resuscitandis seu reparandis iisdem numero
inibus, ad suauem Dei prouidentiam spectat ita
lisponere vt hi casus non eueniant quibus posi-
eret impossibilis vnius & eiusdem numero ho-
s reparatio.
x dictis habes discrimen inter ens naturale seu
antiam corpoream, & accidens, quod nimi-
tota accidentis essentia consistit in forma in-
nte subiecto, ita vt subiectum sit extrà essen-
illius, quamuis essentialiter ab eo connote-
at verò tota essentia entis naturalis coalescit

intrinsecè ex forma substantiali ex subiecto ipsius seu materia.



SECTIO II.

Vtrum materia & forma vniantur immediatè, an medio aliquo nexu ab illis distincto.

QVadruplex distingui potest vnio: prima effectiua, quæ est actio agentis vnientis materiam & dicitur potiùs vnitio aut vnitiua actio quam vnio: secunda dispositiua, quæ est ipsa dispositio præuia in qua mediante agens huiusmodi vnionem causat inter illas partes: tertia formalis, quæ est ipse nexus ab agente mediis dispositionibus causatus, & tandem relatio vnionis inter partes in formali earum vnione fundata. De tertia procedit quæstio, pro cuius resolutione.

Dico: Vnio quæ datur inter materiam & formam non est modus aliquis substantialis ab eis realiter distinctus, sed huiusmodi partes se ipsis immediatè vniuntur.

Probatur: Materia vnitur formæ quatenus illam recipit & sustentat, & vicissim forma vnitur materiæ quatenus illam actuat & informat: in huiusmodi enim sustentatione & actuatione consistit formaliter vnio illarum: atqui talis sustentatio non est modus ab entitate materiæ distinctus, nec similiter actuatio ab entitate formæ: ergo vnio non est modus distinctus à materia & forma. Maior est euidens & ab omnibus conceditur. Minor verò probatur: quia supposita actione agentis, & dispositionibus ab eo introductis, materia per seipsam & per propriam entitatem recipit formam, & vicissim forma per se

informat & actuat materiam, secluso alio quocunque intermedio: ergo sustentatio illa & actuatio non sunt modus aliquis medius inter materiam & formam. Probatur antecedens: quo enim modo materia, antecedenter ad actionem agentis & dispositiones ab eo introductas, est receptiua in actu primo & sustentatiua formæ: eodem modo illis suppositis est recipiens & sustentans in actu secundo: atqui antecedenter ad actionem agentis & ad dispositiones materia per suam propriam entitatem, secluso omni alio intermedio, est receptiua formæ in actu primo & forma informatiua materiæ, vt est euidens, & infra disp. 7. sect. 1. ostendetur ex professo: ergo similiter suppositis dispositionibus materia per se ipsam secluso omni medio erit actu sustentans & forma actu informans.

Confirmatur: quia si sustentatio formæ esset modus substantialis distinctus ex natura rei ab entitate materiæ, & actuatio ab entitate formæ, daretur duplex modus vnionis inter materiam & formam: consequens est falsum, nec admittitur ab authoribus oppositæ sententiæ: quia scilicet cùm quælibet vnio sit essentialiter vinculum duorum, alter modus vnionis superflueret: ergo, &c. Sequela maioris probatur: sustentatio enim quæ est causalitas materiæ erga formam, non potest non distingui realiter ab actuatione quæ est causalitas formæ erga materiam, causæ enim realiter distinctæ habent causalitates seu influxus realiter distinctos: atqui sustentatio & actuatio sunt modi vnionis à materia & forma (vt volunt aduersarij) distincti ex natura rei: ergo erunt duo modi vnionis realiter distincti, quod cum dici nequeat vt ostensum est, nec ab aduersarijs admittatur, dicendum proinde erit vnionem materiæ cùm forma & formæ cùm materia nihil aliud esse quam ipsammet entitatem materiæ vt sustentantem formam, & entitatem formæ vt informantem & actuantem materiam, ita vt sustentatio illa & actuatio non sint modi distincti à mate-

tia & forma.

Obiicies: quod non est tale per se ipsum & ex sua essentia, debet fieri tale per aliud distinctum materia & forma, quantumuis per se ipsas & ex sua essentia sint vnibiles in actu primo, non tamen per se ipsas & ex sua essentia vniuntur in actu secundo ergo debent vniri aliquid distinctum. Probatur minor: si materia & forma per se ipsas & ex sua essentia essent vnitæ in actu secundo, nunquam possent non esse vnitæ; sicut 'quia ex sua propria ratione essentiali sunt vnibiles in actu primo, nunquam possunt non esse vnibiles: atqui possunt non esse vnitæ, vt constat, cum anima separetur à corpore: ergo

Respondeo concessa maiore distinguendam esse minorem, & dicendum materiam, & formam absolutè quidem sumptas non vniri per se ipsas & ex sua essentia in actu secundo, benè tamen vt connotentes & præsupponentes actionem agentis & præuias dispositiones materiam determinantes ad hanc numero formam, & huiusmodi formam inducentes in ipsam; vt probatum est: vnde distinguo consequentiam, ergo debent partes illæ vniri per aliquid distinctum, absolutè sumptæ, concedo, (debent enim vniri per actionem agentis & dispositiones prærequisitas:) suppositis dispositionibus, ita vt debeat vlterius aliquid superaddi formaliter medians inter eas, nego. Ex quibus patet ad probationem minoris: dicendum enim est etiam cum distinctione, quod si materia & forma absolutè sumptæ ex sua propria & essentiali ratione essent vnitæ in actu secundo, nunquam separari possent, secus si habeant tantum præsupposita actione agentis & dispositionibus quæ destrui possunt & sic vnio dissolui. Fundamentum ergo huius solutionis & nostræ conclusionis est quod de essentia materiæ & formæ quantum est de se est non solum esse vnibiles, sed actu vniri supposita actione agentis & dispositionibus.

Obiicies 2. Quod petit remanente alio, distin-
uitur realiter ab illo : sed remanentibus mate-
ia & forma, anima & corpore, petit vnio &
ormalis nexus inter illa : ergo est quid distinctum
b eis.


Confirmatur : Causalitas cuiuslibet causæ creatæ
istinguitur realiter ab ipsa : atqui causalitas mate-
iæ est vnio ipsius cum forma, & vicissim, ergo vnio
istinguitur realiter à materia & forma.

Respondeo aliud esse vnionem esse quid distin-
tum à materia & forma absolutè loquendo, & aliud
sse quid distinctum medians inter illas. Ad pri-
ium enim sufficit quod distinguatur ab eis inadæ-
uatè & secundum in saltem quod importat in
bliquo, quod non inficiamur, sed concedimus:
nio enim materiæ V. G. seu sustentatio cum ni-
il aliud sit quàm ipsa materia vt sustentans for-
nam, seu quod in idem redit vt connotans formam
ustentatam ,, duo important vnum in recto : nempe
ntitatem materiæ : alterum in obliquo, scilicet
ormam sustentatam ; & vicissim vnio formæ, cum
ihil sit pariter quàm ipsas forma vt formans mate-
iam seu vt connotans eam à sé actuatam & infor-
natam, dicit in recto entitatem ipsam formæ, in
bliquo materiam actuatam, atque ita vnio mate-
iæ distinguitur à materia secundùm id quod dicit
n obliquo, & similiter vnio formæ à forma. Ad
ecundum vero requireretur quod vnio esset tertio
liqua entitas aut realitas à materia & forma di-
tincta adæquatè & secundùm id quod importat in
ecto, & hoc est quod reiicimus. In forma ergo
oncessa maiori distinguo minorem: Perit vnio adæ-
quatè & secundùm id quod importat in recto, ne-
o, non enim perit tertia aliqua realitas, inadæqua-
è & secundum id solum quod dicit in obliquo,
oncedo, desinit enim forma esse sustenta, & ma-
eria informata tali forma : Similiter ad consequen-
iam : ergo est quid distinctum, inadæquatè conce-
lo : adæquatè nego. Ex quibus

Ad confirmationem distinguo maiorem : distinguitur adæquatè vel inadæquatè,concedo : adæquatè in omnibus, nego ; in causis ergo extrinsecis, efficiente scilicet & finali, causalitas distinguitur adæquatè, à causa ; in intrinsecis verò, quales sunt materia & forma ; solum inadæquatè sensu explicato.

Obiicies tertiò : Homo generans hominem producit ipsum : sed non produceret nisi saltem causaret modum vnionis inter materiam & formam ; ergo vnio illa est aliquis modus distinctus. Probatur minor ; quia nihil est aliud quod ab homine generante produci possit, cùm materia præsupponatur generationi, & anima à Deo creetur.

Respondeo negando minorem : ad probationem respondeo terminum ab homine generante productum nec esse materiam nec formam seòrsim, quæ à solo Deo creantur, sed totum compositum quod realiter distinguitur à partibus non vnitis aut seorsim sumptis. Ad hoc verò sufficit quod realiter attingat vnionem huiusmodi partium, in quocumque tandem illa consistat, siue in modo substantiali distincto, siue in sola entitate materiæ vt connotante, &c. Hoc autem præstat homo quatenus per suam actionem introducit dispositiones materiam determinantes ad animam rationalem recipiendam eamque ipsi vnientes : in quo differt ab aliis causis generantibus, quæ media sua actione & dispositionibus non solum vniunt materiam cum forma, totumque sic producunt,sed ipsam etiam formam educunt de potentia & sinu materiæ.



SECTIO I.

trùm totum Physicum realiter distinguatur à materia & forma simul sumptis & vnitis.

Ertum & indubitatum est apud omnes compositum naturale realiter distingui distinctione inquatâ, seu includentis & inclusi à qualibet parte sim sumpta, quatenus supra illam addit alte- : insuper etiam ab ambabus simul sumptis non en inter se vnitis, cùm constet totum non esse es disiunctas & separatas.

uare tota controuersia est de partibus simul ptis & vnitis, vtrùm scilicet compositum phy- n nihil aliud sit à parte rei quàm materia & na simul & collectiuè sumptæ & vnitæ: an verò uid ab eis realiter distinctum, vt volunt Scoti- Pro resolutione.

ico: Totum physicum seu compositum substan- non distinguitur realiter à suis partibus simul ptis & vnitis.

robatur: idem non distinguitur realiter à seip- ed materia & forma simul sumptæ & vnitæ sunt nmet compositum substantiale, ita vt hoc nihil inò addat supra illos: ergo compositum sub- iale non distinguitur realiter à materia & for- imul sumptis & vnitis. Probatur minor; Ens escens ex pura potentia & actu substantiali est ino idem ac compositum substantiale: atqui ma- & forma simul sumptæ & vnitæ sunt quid escens ex pura potentia & actu substantiali: er- c sumptæ sunt ipsummet compositum substan-

tiale. Minor patet: materia enim eſt pura potentia & forma actus ſubſtantialis; ergo collectio illarum, prout vnitæ ſunt eſt quid conſtans purâ potentiâ & actu ſubſtantiali.

Confirmatur & explicatur: Aut totum diſtinguitur realiter à materia & forma ſimul ſumptis & vnitis, diſtinctione includentis & incluſi, quia ſcilicet includit materiam & formam vnitas, & inſuper aliquid aliud; vel diſtinctione excludentis & excluſi, quia nimirum totum eſt aliqua tertia entitas non includens materiam & formam ſed tota diſtincta ab illis ſimul ſumptis & vnitis; neutrum dici poteſt: ergo totum non diſtinguitur realiter, &c. Minor probatur: & inprimis quoad ſecundam partem eſt euidens, totum enim phyſicum eſt ens eſſentialiter conſtans materiâ & formâ, ergo non eſt tertia entitas ſe tota diſtincta ab illis: quantum verò ad primam probata manet ex dictis, quia materia & forma ſimul ſumptæ & vnitæ ſunt eſſentialiter ipſum totum ſecluſo quolibet alio ab illis realiter diſtincto, ergo totum non includit eſſentialiter aliud præter materiam & formam vnitas. Antecedens patet ex dictis, totum enim phyſicum nihil aliud eſt quàm ens coaleſcens ex partibus phyſicis: atqui collectio materiæ & formæ vnitarum, ſeu coniunctum ex illis eſt ens coaleſcens, &c. Ergo.

Maneat igitur totum phyſicum non diſtingui realiter à ſuis partibus vnitis ſimul ſumptis, ſed ſola ratione ratiocinata, ſicut implicitum ab explicito, eo modo quo definitum à definitione, quatenus totum implicitè importat partes, quæ tamen explicitè importantur cùm dicitur. Partes ſimul ſumptæ vnitæ.

Obiicies primò: Si totum naturale non eſſet aliud quam partes vnitæ, eſſet ens per accidens: atqui non eſt, &c. ergo probatur ſequela: Illud dicitur ens per accidens, quod eſt vnum tantùm per aggregationem: atqui totum phyſicum eſſet vnum tantùm per aggregationem: ergo. Probatur minor: Totum,

quod eſt reipſa plura, non poteſt eſſe vnum niſi per aggregationem illorum plurium: atqui totum phyſicum, ſi nihil aliud ſit quàm partes vnitæ, eſt reipſa plura: ergo


Reſpondeo negando ſequelam maioris: ad probationem nego minorem. Ad cuius item probationem, nego ſimiliter minorem, partes enim vnitæ ſunt quid vnum, vt tales, non plura: vel diſtinguo maiorem: Totum quod eſt plura entia completa, vel plura non vnita per modum actus & potentiæ, eſt vnum tantùm per aggregationem: concedo, quod eſt plura incompleta vnita tanquam actus & potentia, nego: totum autem phyſicum eſt ipſæ partes incompletæ vnitæ per modum actus & potentiæ.

Obiicies ſecundò: Cauſa realiter diſtinguitur à ſuo effectu: ſed materia & forma vnitæ cauſant totum, ergo. Minor eſt euidens: quia materia cauſat totum recipiendo formam, & forma informando materiam: ſed materia non recipit formam, nec forma informat materiam, niſi inquantum vniuntur: ergo materia & forma inquantum vnitæ cauſant totum.

Pro reſolutione obſerua partes vnitas poſſe ſumi duobus modis, diuiſiuè & collectiuè: diuiſiuè ſumuntur, quando vna importatur in recto, & altera in obliquo, vt cùm dicitur, materia ſuſtentans formam, & forma informans materiam: collectiuè verò, quando vtraque importatur vnica collectione in recto, vt cum dicitur, materia & forma vnitæ: & quia materia cauſæ compoſitum recipiendo & ſuſtentando formam, non verò materia & forma vt vnitæ, cum vt ſic ſint ipſummet compoſitum cauſatum; ideò verum quidem eſt quod materia & forma vt vnitæ diuiſiuè ſumptæ cauſant totum, non verò materia & forma vt vnitæ ſumptæ collectiuè: atque adeò totum diſtinguetur realiter à materia & forma vnitis diuiſiuè ſumptis, id eſt à materia recipiente formam, & à forma informante

materiam, sed non ab ipsis vt vnitis collectiuè. Vnde.

Ad argumentum concessâ maiori, distinguo minorem: Materia & forma vt vnitæ diuisiuè sumptæ causant totum, concedo, vt vnitæ collectiuè, nego: ergo materia & forma vnitæ distinguuntur realiter à toto: diuisiuè sumptæ, concedo: collectiuè, nego: quæ distinctio applicanda est minori & consequentiæ syllogismi adducti in probatione.




IN SECVNDVM *Librum Physicorum.*

DISPVTATIO VNICA. Ordine V.

De Natura.

CONSIDERAVIMVS hactenus compositum naturale eiusque principia in esse rei, agendum modò est de eodem ente naturali in esse scibilis: vnde primò agemus de natura qua constituitur in esse mobilis sub qua ratione est scibile & obiectum physicè, acturi postmodum de causis per quas de ipso demonstrantur passiones.



SECTIO I.

Quid sit natura.

VAldè æquiuocum est naturæ nomen. Primò enim sumitur pro natiuitate seu origine cuiuscunque ex alio, & hæc est primæua eius significatio; quæ competit ei ex ipsa nominis etymologia, deriuatur enim natura à verbo *nascor*, aut participio, natus. Secundò deductum est hinc ad significandum ipsum principium talis originis, aut etiam cuiuscunque emanationis, operationis, aut motûs, sed præcipuè primum & radicale siue substantiale principium, quo sensu idem est substantia vel essentia ac natura, cum hoc discrimine quòd essentia dicit ordinem ad esse, natura verò ad operationem tanquam principium radicale eius: hoc modo diuiditur in naturam naturantem & naturam naturatam: Natura naturans dicitur Deus, quatenus est primum & vniuersale omnium principium: natura naturata sunt res creatæ, quæ sunt principia suarum operationum & effectuum, sed principia ab alio procedentia & dependentia. Tertiò sumitur specialiter pro principio agente ex necessitate, quæ dicitur causa naturalis, quia agit secundùm innatam propensionem, ad differentiam liberæ quæ agit prout vult: & in hoc sensu accipitur natura in his axiomatibus, *Natura nihil facit frustrà, Natura semper facit optimum quod potest.* Quartò accipitur pro genio, in dole, aut temperamento cuiusque viuentis ex mixtione quatuor primarum qualitatum aut ex iusta proportione humorum resultante, quod est principium immediatum operationum aut animi functionum. Quintò specialiùs accipitur in Physica

pro principio radicali seu substantiali interno & innato motus subindéque quietis (motus enim ordinatur ad quietem in termino) interno inquam illi enti in quo est notus aut quies , vt inferiùs dicetur. Et de natura hoc sensu accepta qua constituitur ens naturale in esse naturalis & nobilis (idem enim est naturale ac habens naturam seu principium radicale motus & quietis, in quo differt ab artificiali & violento, quæ non habent intra se principium sui motus artificialis aut violenti vel quietis, sed extra:) de hac inquam natura.

Dico Legitimam esse in primis communem illam definitionem ipsius sub his terminis ab Aristotele traditam : Natura est principium & causa motus & quietis eius in quo est primò & per se & non secundùm accidens. Quæ verba sic ordinanda sunt : Natura est principium & causa primò & per se & non secundùm accidens, motus & quietis illius entis aut rei in qua est (subaudi) ipsa natura.

Declaratur: Dicitur, Principium in quo conuenit natura cum priuatione : additur, causa, per quod differt ab illa, cùm enim priuatio non influat realiter in motum, nequit dici causa illius. Subditur ly primò, vt denotetur naturam esse principium *quo* primum & radicale motus & quietis rei in qua ipsa est, & sic excluduntur à ratione naturæ principia proxima motus & quietis , vt grauitas & leuitas in elementis, potentia progressiua in animalibus & similia. Dicitur , per se & non secundùm accidens, quia non vtcumque conuenit naturæ esse principium radicale motus , &c. Sed omnino per se & ratione sui, id est non ratione alicuius prædicati superioris, eo modo quo homini conuenit esse principium radicale sentiendi ratione gradus superioris animalis & non omnino per se & ratione propriæ differentiæ ! natura verò per se & ex propria sua ratione est principium radicale motus. Additur ly motus & quietis, quod intelligi debet iuxta distributionem accommodam, ita vt sensus sit naturam esse

principium & cauſam primò & per ſe motus in iis quæ mouentur, & quietis in iis quæ quieſcunt. Aduerte autem quietem, cuius natura dicitur eſſe cauſa non ſumi pro mera carentia motus, ſed potiùs pro adeptione & poſſeſſione termini, puta pro poſſeſſione centri quod lapis acquirit per motum, quo adepto ceſſat talis motus. Dicitur denique, eius in quo ipſa natura eſt, quorum verborum ſenſus eſt non omne id quod eſt principium & cauſa motus & quietis alicuius entis, dici naturam, ſed illud tantùm quod eſt internum & innatum enti quod mouetur aut quieſcit, vnde principia cauſatiua motus & quietis in aliis ſubiectis, non habent qua talia, rationem naturæ forma enim ignis e. g. non dicitur natura ſub ea ratione qua eſt cauſa motus calefactionis in ligno, ſed quatenus eſt radix alicuius motus puta ſurſum in ipſomet igne.

Ex quibus habes primò differentiam naturæ ab arte & vi: natura enim eſt principium radicale motus & quietis, & innatum enti quod mouetur aut quieſcit: ars verò (quæ eſt habitus in intellectu) eſt principium motus in alio ſubiecto diſtincto, putà in ligno in quo artifex operatur: ſimiliter vis ſeu violentia eſt principium motus & quietis in alio, puta motus ſurſum in lapide, aut quietis illius in loco illo ipſius inclinatione repugnante.

Dices: Ars medecinæ poteſt eſſe principium ſanitatis ipſius medici cui ineſt, puta ſi medicus curet ſeipſum: ergo ars eſt principium motus eius in quo eſt.

Reſpondeo artem illam non eſſe innatam tali homini, ſed per accidens ineſſe ei qui ſanatur: ſanatur enim in quantum infirmus, & non in quantum medicus, deinde non eſt principium radicale ſanitatis.

Habes 2. diſcrimen motus naturalis à motu artificioſo & violento, quòd naturalis eſt à principio

tot sunt naturæ quot partes quibus constat : tùm quia partes entis naturalis sunt principia motuum ipsius, ergo sunt naturæ. Vnde.

Probatur 2. Natura definitur principium & causa motus & quietis eius in quo est : atqui materia est principium motùs & quietis illius entis in quo est, similiter & quælibet forma substantialis : ergo ambæ participant rationem naturæ.


Prima pars minoris probatur : Materia est principium & causa motus & quietis eius in quo est, si ipsa sit principium passiuum & causa materialis, seu subiectum receptiuum vt *quo* omnium motuum corporeorum & physicorum qui recipiuntur in toto composito vt in subiecto *quod* : atqui res ita habet, materia enim est prima & radicalis ratio reddens totum substantiale aptum natum moueri motibus generationis, alterationis, augmentationis, lationis, & aliis huiusmodi ad quos ipsa naturaliter inclinatur, vel appetitu particulari si sint connaturales illi formæ cui actu substat materia, vel vniuersali si sint connaturales aliis formis quas habuit aut habere potest : vnde fit nullum motum esse violentum respectu materiæ, sed omnes naturales : quamuis illi qui sint contra inclinationem formæ, sicut motus sursum in lapide, motus calefactionis in aqua, absolutè dicendi sint violenti, quia hoc ipso sunt contra inclinationem particularem illius entis.

Secunda verò pars supradictæ minoris sic suadetur: quia ex omnibus formis substantialibus nulla est quæ non sit vel principium passiuum alicuius determinati motus aut quietis, vt formæ purè corporeæ ; forma enim ignis est principium passiuum motus sursum qui in eo causatur effectiuè à generante ; mediante leuitate tanquam virtute instrumentali in illo relicta, vt alibi dicemus ; similiter forma cœli est principium passiuum motus circularis causati effectiuè ab intelligentia motrice ; & sic de aliis : vel principium actiuum, vt formæ viuentes ; nam anima vegetatiua est primò & per se principium actiuum mo-

tus nutritionis & augmentationis in viuentibus; sensitiua, visionis, auditionis, aliarumque sensationum in animalibus; & rationalis, intellectionis seu ratiocinationis ac volitionis in homine, quæ licet quoad substantiam sint operationes spirituales, habent tamen etiam rationem motuum quodam modo corporeorum & physicorum quoad modum prout scilicet ab anima juncta corpori dependenter à sensibus, qui corporei sunt & materiales, exercentur; atque ita respectu illorum habebit anima rationalis etiam inquantum talis rationem naturæ. Nec sequitur idem fore dicendum de Angelo, quia in eo intellectio & volitio & quoad substantiam & quoad modum purè spirituales sunt, & à corpore omnino absolutæ. Nec item sequitur animam saltem in statu separationis in quo intelligit eo modo quo Angelus independenter à sensibus & corpore, non habituram rationem naturæ: sufficit enim quod seruet aptitudinem ad huiusmodi operationes dependenter à sensibus exercendas.

Dico 2. Forma totalis (quæ nihil aliud est quàm ipsa entitas compositi in abstractato, puta humanitas,) non est propriè & in rigore loquendo natura, prout hic natura sumitur: atque adeò natura erit tantùm duplex, materia scilicet & forma partialis seu quæ est materiæ compars.

Probatur: forma enim totalis non est principium omnino primum & radicale motus & quietis, cum præsupponat alia principia priora, scilicet materiam & formam ex quibus componitur, vnde habet potius rationem principiati quàm principij: ergo non est natura propriè, nisi natura sumeretur pro quiditate & essentia, quo sensu non vsurpatur hic à nobis.



SECTIO III.

Vtrum pars possit efficere operæ naturæ.

DVpliciter sumuntur his ars & natura : Et sensus est primò vtrum ars sumpta pro forma artificiali, puta statuæ, possit esse principium earum operationum aut motuum qui à natura aut forma substantiali solent procedere : secundò vtrum ars sumpta pro ipso habitu artis existente in artifice, seu potius artifex ipse aut natura intellectualis beneficio ipsius artis efficere queat opera illa quæ à natura, hoc est à naturali agente producuntur. Pro cuius resolutione.

Dico primò artem primo modo sumptam, pro forma scilicet artificiosa, non posse esse principium aut causam motuum vel operationum naturalium. Non nego posse dici aliquo modo principium passiuum motus: forma enim artificialis Sphærica, V.G. reddit corpus velocius mobile aut notabile : sed hoc est esse principum tantum passiuum proximum aut vt alij dicunt conditionem, vnde non sequitur participare rationem naturæ.

Probatur igitur conclusio : quia forma artificialis nihil aliud est quàm dispositio ipsius quantitatis in artefactis : ergo sicut ipsa quantitas non est principium actiuum alicuius motus aut actionis (sed est merè passiua & veluti pura potentia in ordine ad formas accidentales corporeas, eo modo quo materia prima in ordine ad substantiales subindeque est omnis actiuitatis expers) ita & multò minus forma artificialis : ergo sicut ipsa quantitas suaptè natura est

ignaua, iners, & non est principium alicuius operationis: ita nec forma artificialis.

Obiicies: Legitur Archytam Tarentinum confecisse columbam lingneam tali artificio, quòd medio aëre suspensa volitaret: statuas Dædali huc illuc sponte discurrere solitas; Tripodes quosdam aureos in Iarchæ Gymnosophistæ conuiuio seipsos mouisse, & aureos Princernas conuiuis operam suam præstitisse; vitream Archimedis Sphæram tanto artificio confectam, vt astrorum ortus & interitus defectus Solis & Lunæ, & denique omnium cœlestium Sphærarum motus & conuersiones in ipsa viserentur; demum quoddam caput æneum humano simile tanta industria & arte à beato Alberto magno fuisse compositum vt verba proferret: ergo motus naturales possunt à forma artificiali tanquam à principio intrinseco ipsorum elicitiuo procedere.

Respondeo motus huiusmodi artefactorum, locutiones, &c. Non processisse à formis artificialibus sed à quibusdam naturalibus causis intùs latentibus & per artem humanam applicatis, puta ab argento viuo, aut machinulis quibusdam ex variis rebus naturalibus extructis, & intrà huiusmodi artefacta inclusis, vt in horologio proportionaliter cernimus, quod ex vi ponderis artificiosè applicati mouetur.

Dico 2. Nulla ars quocunque modo sumpta potest immediatè præstare aut efficere opera & effectus naturæ. Hæc conclusio confirmat præcedentem: vnde.

Probatur ratione quæ illam etiam conuincit: Si ars posset immediatè efficere opera naturæ, vel id præstaret in genere causæ principalis, vel in ratione causæ instrumentalis: non primo modo: quia causa principalis debet vel formaliter vel eminenter continere suum effectum: sed ars nec formaliter nec eminenter continet effectus naturales: ergo. Probatur minor: quia illi sunt vel substantiæ, vel accidentia naturalia, sed ars non continet substantiam aut accidens naturale, nec formaliter & vniuocè, cùm

non sit eiusdem rationis & ordinis, sed diuersi; nec eminenter vt causa æquiuoca, cùm non sit quid perfectiùs & eminentius: ergo. Sed neque secundo modo: quia instrumentum aut instrumentaria virtus debet esse eiusdem ordinis cum ipsa causa principali: ergo cum causa principalis effectuum naturalium non possit esse ars, vt ostendimus, non poterit esse etiam causa instrumentalis, sed virtus instrumentaria qua mediante agens naturale attingit in ratione causæ principalis suos effectus, debebit necessariò esse naturalis, sicut instrumentum artificialis debet esse artificiale.

Dico tertio: Licet ars nullos effectus naturæ possit immediatè attingere per propriam actionem plures tamen potest mediatè præstare applicando, actiua passiuis: id est, potest aliquis dirigente habitu artis, ita causas naturales actiuas passiuis naturalibus applicare, vt ex tali applicatione naturale quosdam effectus edant, qui alioquin non producerentur. Hoc patet in arte medicinæ quæ eatenus dicitur causare sanitatem, quæ est effectus naturalis quatenus applicat herbas, radices, & alia huiusmodi actiua quæ illam causant agendo in temperamentum naturale & contrarias qualitates expellendo.

Et hac ratione, applicando scilicet actiua passiuis, illi omnes effectus vniuersaliter loquendo patrari possunt arte naturali hominum, industriâ dæmonum, magiâ naturali vel Diabolicâ, quorum causæ subsunt dispositioni hominum vel dæmonum vt eas possint inuenire & applicare. Et hinc est quòd dæmones vel etiam homines industriâ dæmonum qui per naturalem scientiam apprimè callent occultissimas rerum naturalium virtutes, plurésque illarum possunt debitæ materiæ applicare, exhibent nobis miros quosdam effectus, qui licet naturales sint vt potè ab agentibus naturalibus producti, sunt tamen insoliti & præter communem cursum naturæ. Exemplum est in magis Pharaonis Exod. 7. qui

operâ dæmonum actiua passiuis (hoc est semina quædam vel aliqua putrefactiua virgis illis de quibus ibi est sermo, vel alteri cuiuis materiæ) occultè applicantium,exhibuerunt veros & reales serpentes, vt docet Augustinus, & non tantum adumbratos similiter muscas & ranas.

Artificio quoque magiæ naturalis occultas naturalium causarum vires applicantis multa absque dæmonum interuentu fieri possunt insolita supra hominum fidem & opinionem , quamuis de facto in illis etiam persæpe interueniat, pactum saltem tacitum cum dæmone, & ideo magia naturalis solet esse velamen diabolicæ.

Ex quibus habes magiam esse subtilissimam quandam cognitionem secretorum naturæ virtutumque causarum naturalium mira quædam & insolita operantem interuentu & applicatione huiusmodi causarum : quæ facultas si labore humano acquiratur, dicitur magia naturalis ; si verò ope dæmonum, appellatur dæmoniaca.


Quæres vtrum industriâ chymicæ artis, quæ est pars magiæ naturalis , valeat confici verum aurum.

Respondeo expressis verbis D. Thomæ in 2. sententiarum distinc. 7. quæst. 3. art. 1. ad 5. Alchymistæ (inquit) faciunt aliquid simile auro quantum ad accidentia externa (puta colorem,) sed tamen non faciunt verum autem aureum , quia forma substantialis auri non fit per calorem ignis quo vtuntur Alchymistæ, sed per calorem solis in aliquo loco determinato vbi viget virtus mineralis, & ideò tale aurum non habet operationem consequentem speciem veri auri. Ex quibus

Probatur responsio. Ars non potest efficere opus naturæ immediatè & per propriam virtutem, vt ex conclusione constat , sed ad summum applicando causas per quas natum est produci huiusmodi opus: atqui nullius artis dispositioni subsunt causæ productiuæ auri, vt eas possit applicare , ergo.


Probatur minor; causa enim efficiens auri non est calor ignis quo vtuntur Alchymistæ, sed calor solis, causa verò materialis est minera in visceribus terræ in certo & determinato loco constituta in quo tantum viget mineralis virtus & non extra: ergo causæ quibus produci debet aurum non subsunt dispositioni artis.

Confirmatur experientiā: quia hactenus Alchymistæ verum aurum nunquam efficere potuerunt, sed suam operam perdiderunt. vnde eos Caietanus irridet dicens tantùm abesse vt verum aurum efficiant vt potius ex vero auro solum fumum concitent, quatenus multas faciunt expensas quæ in fumum resoluuntur.



DISPVTATIO VI.

De causis in communi.



SECTIO I.

Quid & quotuplex sit causa.

Cavsa est principium influens esse in aliud dicitur. Principium in quo conuenit cum aliis principiis quæ non habent rationem causæ, puta cum priuatione. Additur ly influens, id est, dans & communicans esse alteri esse alteri siue effectiuè vt causa efficiens: siue motiuè & quasi allicitiuè, vt finalis: siue in informando, vt

formalis; siue sustentando, vt materialis: & defe-ctu huius positiui influxus in effectum ratio causæ denegatur priuationi respectu generationis cuius tamen est principium, & similiter conditionibus sine quibus non. Additur tandem ly in aliud, vt denotetur ad rationem causæ necessariò requiri vt communicet esse aliud aut essentiam realiter distinctam ab ea quam huiusmodi causa habet: cùm enim neutrum genus in adiectiuis, quia est informe, conuenienter significet essentiam communem (inquit D. Thomas) masculinum verò, quia est formatum & distinctum, similiter & fœmininum, significet aliquod suppositum determinatum in communi natura; inde est quod aliud simpliciter acceptum significat distinctionem in natura, ly alius verò aut alia solùm in persona seu supposito: & ideò quia in Diuinis distinctio est secundùm personas, & non secundùm essentiam, dicimus quòd Pater est alius à Filio, & hic à Spiritu S. sed non aliud; è conuerso autem dicimus quòd tres personæ Diuinæ sunt vnum, sed non vnus: ob eandem rationem Pater dicitur quidem principium Filij, & vterque Spiritûs Sancti, non tamen causa, quia scilicet vna prorsus est essentia quam Pater habet à se, Filius verò à Patre, & Spiritus sanctus ab vtroque. Sed.

Inquires cur ad rationem causæ requiritur influxus in aliud simpliciter, id est, in rem essentiâ diuersam, cùm ad rationem principij sufficiat influxus in aliud suppositum seu in rem solâ subsistentiâ aut personalitate distinctam?

Respondeo hoc ideo esse, quia de ratione principij vt sic est tantùm quòd principiatum procedat ab illo, non autem quòd ab eo dependeat; at verò de ratione principij causantis est vera & realis dependentia effectus seu rei causatæ ab illo, quæ dependentia saluari nequit inter ea quæ sunt vnum & idem in essentia, idem enim non dependet à seipso.

Iuxta sensum huius definitionis sic explicatæ debent


bent intelligi aliæ quibus passim vtuntur philosophi post Aristotelem, vt, quòd causa sit ad quam, vel ex cuius esse sequitur aliud; seu, ad quam sequitur (supple per verum influxum) esse alterius : vbi ly esse alterius denotat esse diuersum seu distinctam saltem numero essentiam, sicut ly aliud.

Dico 2. Quatuor sunt causarum genera, materialis, formalis, efficiens, & finalis, nec plura, nec pauciora.

Probatur : Tot sunt & non plura causarum genera, quot influunt in ens naturale, cùm enim inter omnia entia sit maximè compositum, debet à pluribus causis dependere : atqui quatuor sunt & non plura causarum genera quæ influunt in ens naturale: ergo. Minor probatur & declaratur : nam in primis materia influit in ens naturale recipiendo & sustentando formam, & sic habetur genus causæ materialis; forma actuando & informando materiam, & sic habetur genus causæ formalis : rursus quia forma non efficit seipsam, aliàs esset antequam esset, sed debet effici ab alio, inde est quòd præter causam materialem & formalem debet admitti causa efficiens quæ educendo formam è sinu materiæ, vel certè (si de rationali sit sermo) eam à Deo creatam effectiuè vniendo, totum producat : & tandem quia omne efficiens, nisi casu & temerè agat, debet operari ob aliquem finem, qui illud ad talem operationem alliciat, concedenda erit causa finalis: nullum verò aliud causæ genus concurrens ad compositum substantiale assignari potest : ergo quatuor tantùm sunt causarum genera.

Quodlibet autem genus causæ subdiuiditur in varias species. In primis enim causa materialis subdiuiditur in subiectiuam & dispositiuam : causa materialis subiectiua in materiam primam, de qua supra egimus; & materiam secundam, quæ est totum compositum prout substernitur accidentibus : causa verò materialis dispositiua dicuntur accidentia quibus materia prima præparatur ad formam recipien-

dam. Causa autem formalis subdiuiditur in intrinsecam, quæ scilicet intrinsecè afficit, informat & actuat materiam, totumque constituit; & extrinsecam, quæ extrinsecè solùm informat aut specificat rem, vt idea artificis vel exemplar domum, obiectum potentiam aut habitum. Efficiens in primam, quæ est Deus, & secundam sub qua comprehenduntur omnes causæ effectiuæ creatæ: item in principalem & instrumentalem. Finalis denique in finem vltimum, qui est Deus, & finem proximum: in finem *qui* aut *cuius gratia* & finem *cui*. De quibus omnibus in sequentibus agemus.



SECTIO II.

Vtrum omnis causa sit nobilior suo effectu, & prior illo.

DIco primò: Causæ intrinsecæ (materialis nimirum & formalis) sigillatim sumptæ sunt ignobiliores suo effectu, id est, composito. Patet hæc conclusio: quælibet enim pars seorsim sumpta est imperfectior toto: atqui causæ intrinsecæ compositi sunt partes ipsius: ergo.

Dico 2. causas extrinsecas, efficientem & finalem, esse aliquando perfectiores quàm effectum, aliquando æquè perfectas, aliquando minùs.

Probatur quoad causam efficientem: nam illa vel est principalis vel instrumentalis: si principalis, vel est vniuoca, & sic est æquè perfecta ac effectus: causa enim vniuoca est ea quæ producit effectum eiusdem speciei & perfectionis substantialis cum ipsa: vel est æquiuoca, quæ scilicet producit effectus diuersæ speciei ab ipsa, & sic debet esse perfectior

illis: nam res diuersæ speciei sunt diuersæ & inæqualis inter se perfectionis, ergo cùm causa æquiuoca sit diuersæ speciei à suo effectu, debet illi esse inæqualis in perfectione, & cùm sit causa principalis cui repugnat esse ignobiliorem effectu, consequens est vt sit nobilior illo: si autem sit causa instrumentalis; est imperfectior suo effectu: instrumentum enim est causa quæ virtute à principali agente acceptâ producit effectum suas proprias vires superantem, atque adeò nobiliorem se.

Dices: interdum pater est tardi ingenij, filius perspicacioris; ergo causa efficiens principalis, qualis est pater respectu filij, potest esse minus perfecta suo effectu.

Respondeo distinguendo consequentiam: perfectione substantiali, nego; accidentali, concedo: sed de hac non procedit conclusio.

Dices 2. Asinus est minus perfectus perfectione etiam substantiali & specificâ quàm mulus, & tamen est causa principalis illius ergo.

Respondeo non esse causam principalem totalem, sed vna cum equâ: ambo autem per modum vnius principij non sunt quid imperfectius.

Dices 3. Corpora cœlestia producunt per suas influentias plura animalia imperfecta in hoc orbe sublunari, vt ranas, muscas, &c. non enim est alia causa ad quam vt plurimùm reduci possint huiusmodi effectus; & tamen corpora cœlestia sunt imperfectiora quolibet imperfectissimo animali, quandoquidem participant solùm gradum corporis, animalia verò sunt in gradu viuentis sensibilis.

Respondeo corpora cœlestia concurrere tantùm instrumentaliter ad generationem horum imperfectorum animalium: causam verò principalem esse vel ipsammet primam causam concurrentem non solùm concursu generali, sed speciali supplente vices causæ particularis: vel vt alij volunt, intelligentias motrices cœlorum: vnde patet huiusmodi animalia esse quidem perfectiora suis causis instrumen-

talibus, non tamen principalibus.


Probatur 2. Conclusio quoad causam finalem; nam quando quis studet, V. G. propter Deum, tunc finis est nobilior effectu, hoc est studio: si ob lucrum aut vanam gloriam, est ignobilior: si autem studet præcisè vt studeat, id est propter ipsammet nobilitatem studij, tunc finis & effectus ipsius, qui in hoc casu coincidunt, erunt eiusdem perfectionis. Cum quibus tamen omnibus stat quòd causa reduplicatiuè vt causa perfectior est suo effectu, cùm hic dependeat ab illa.

Dices: idem non potest dependere à seipso: ergo effectus non dependent à fine quando cum illo coincidit.

Respondeo effectum dependere realiter à fine & semper distingui ab illo, quatenus res vt in intentione, est finis, vt verò in executione, est effectus.

Dico tertiò omnem causam esse priorem suo effectu, saltem prioritate naturæ, pro intelligentiâ huius conclusionis recolenda sunt necessariò ea quæ de prioritate temporis & naturæ diximus in postprædicamentis. Ex quibus.

Probatur conclusio: Omnis effectus dependet à suâ causâ: ergo quælibet causa debet esse prior suo effectu saltem prioritate naturæ, quæ est inter ea quorum vnum dependet ab alio.






DISPVTATIO VII.

De causis materiali & formali.

QVIA ea quæ pertinent ad materiam & formam magna ex parte constant ex dictis, paucis perstringemus ea quæ de ipsis in ratione causarum spectatis dicenda supersunt.



SECTIO I.

Per quid causent materia & forma, & quænam sit earum causalitas quisue effectus.

DIco primò: materia per seipsam seu ratione propriæ entitatis absque alio superaddito est causatiua in actu primo.

Probatur, materiam esse causatiuam in actu primo nihil aliud est quàm esse receptiuam formæ: atqui per seipsam, & nullâ aliâ entitate mediâ est receptiua formæ: ergo. Probatur minor: inprimis quia in hoc consistit propria & essentialis ratio materiæ quòd sit pura potentia receptiua formæ: ergo non debet fieri talis per aliud. Deinde si daretur in materia aliqua entitas distincta ab ipsâ formâ quâ fieret

potens recipere eam, vel illa entitas esset substantia, vel accidens: non substantia, cùm hæc sit tantum triplex, materia scilicet, forma & compositum, nulla verò ex istis esse posset, vt est euidens: nec etiam accidens, aliàs ex materia affecta huiusmodi accidente & ex forma non fieret vnum per se, sed per accidens, vt pote coalescens ex rebus diuersorum prædicamentorum.

Dico secundò formam similiter esse causatiuam in actu primo ratione suæ propriæ entitatis. Hæc conclusio infertur ex præcedenti: sicut enim materia per suam potentialitatem absque vlla entitate intermedia est nata recipere formam, ita forma per suam propriam entitatem & actualitatem est potens informare & actuare materiam, idque iisdem proportionaliter rationibus probari potest.

Dico tertiò: Causalitas materiæ est vnio ipsius cum forma, seu aliis terminis, est sustentatio formæ.


Probatur: causalitas cuiuslibet causæ est influxus ille quo in proprio genere causandi actualiter influit in effectum: atqui materia per hoc solum influit in formam & compositum, quod vniatur formæ sustentando illam: ergo materiæ causalitas nihil aliud est quàm vnio ipsius cum forma. Probatur minor: materia enim non aliter causat formam quàm recipiendo illam in sinu suo, nec aliter influit in totum quàm communicando seipsam illi per modum partis materialis: atqui id totum præstat sustentando formam; ergo non aliter influit in effectum quàm per hoc quod vniatur formæ seu sustentet illam.

Dico 4. Causalitatem formæ vicissim esse vnionem ipsius cum materia, seu informationem. Patet eâdem ratione, quia per hoc influit in materiam & totum.

Declaratur insuper: sicut enim effectus *quo* & veluti intermedius materiæ est forma, quatenus hæc ab illâ vt à subiecto dependet vel quoad informationem tantùm & vnionem, vt anima rationalis, vel

etiam quoad ſuam entitatem & ſuum eſſe, vt formæ materiales; effectus vero *qui* & præcipuus ac vltimatus eiuſdem materiæ, eſt totum quatenus ab ea vt à cauſa intrinſecâ materiali dependet; ita effectus *quo* & veluti intermedius formæ eſt materia, non quidem conſiderata quoad ſuam entitatem eſſentiæ purè potentialem, ſed quoad ſuam actualitatem & exiſtentiam quam emendicat à formâ; effectus vero *qui* præcipuus & vltimatus eiuſdem formæ eſt ipſummet totum quod ab ea vt à cauſa intrinſecâ formali pendet: ergo ſicut materia influit in formam & in totum per ſuſtentationem formæ, ita forma per actuationem materiæ. Ex quibus patet ad vltimam partem quæſtionis in titulo propoſitæ, quinam ſcilicet ſint effectus harum cauſarum, atque etiam.

Infertur materiam dici cauſam intrinſecam reſpectu totius, non autem proprie loquendo reſpectu formæ; ſimiliter formam reſpectu eiuſdem compoſiti, non autem reſpectu materiæ, quia ſcilicet vna non ingreditur conſtitutionem alterius intrinſecè quoad ſuam entitatem conſideratæ, ſed ſolùm totius.



SECTIO II.

De cauſa formali extrinſeca ſeu exemplari.

QVælibet res à quâ alia extrinſecè ſpecificatur aut denominatur, dicitur cauſa formalis extrinſeca reſpectu illius, cuiuſmodi eſt exemplar comparatione rei exemplatæ, & obiectum reſpectu facultatis aut habitus. Hic tantùm de exemplari agemus.

Duplex autem diſtingui ſolet exemplar: aliud

externum, quale est imago quam sibi pictor aliquando proponit imitandam : aliud internum, quale sibi in mente format qui domum per artem extruere molitur. Externum non semper est necessarium, sed per accidens adhibetur, vt nimirùm illius intuitu meliùs & perfectiùs efformari possit ab artifice exemplar internum per quod tanquam per formam intellectualem seu intentionalem possit operari, & ad cuius imitationem ac similitudinem valeat opus externum efficere. Vnde.

Dico primo : Exemplar rectè definitur forma intra mentem existens ad quam artifex respiciens operatur.

Dicitur forma, in quo conuenit exemplar cum forma naturali. Additur, ad quam, in quo differt ab illâ : forma enim naturalis est ea ex quâ aut per quam res intrinsecè constituitur : exemplar verò est forma ad quam, id est ad cuius similitudinem & imitationem res efformatur. Dicitur intra mentem existens, quibus particulis secernitur exemplar internum ab externo quod non habet nisi impropriissimè rationem causæ exemplaris aut idealis, cùm non concurrat ad opus nisi per accidens, vt diximus.

Dico 2. Exemplar seu idea, cui agens intellectuale intendit assimilare suum opus, nihil aliud est reipsâ quàm species expressa ipsius operis faciendi, seu conceptus formalis quem artifex format de re quam facere instituit. Dico, Operis faciendi, quia species expressa alicuius operis non vt faciendi, sed solum vt cognoscendi aut cogniti, non habet rationem ideæ; sed tantum ea quæ repræsentat rem vt factibilem & in ordine ad executionem.

Ratio autem conclusionis est quia exemplar vt vidimus est forma ad cuius similitudinem artifex producit suum artefactum, atque adeo debet huiusmodi forma intra mentem existens esse similitudo illius operis faciendi : sed sola species expressa, huiusmodi opus faciendum repræsentans potest esse talis similitudo : ergo ipsa sola potest habere rationem exem-

plaris. Probatur minor : duplex enim tantum in intellectu datur similitudo rei extrinsecæ, nempe species impressa & species expressa illius : atqui species impressa non est talis similitudo ad quam respiciat artifex dum operatur, cùm illa sit medium incognitum se tenens ex parte principij intellectiui, & non ex parte obiecti : ergo erit sola species expressa quæ est medium cognitum & se tenet ex parte obiecti.

Dices ideam esse rem ipsam efficiendam vt obiectam menti artificis.

Sed contra, quia idea est similitudo & imago rei faciendæ : ergo non est res ipsa facienda vt menti obiecta.

Inquires, cur in Deo admittatur vnica species expressa seu vnicum verbum, & tamen infinitæ dicantur in eo esse ideæ ; si idea sit ipsa species expressa?


Respondeo, quia essentia Diuina habet rationem speciei expressæ & verbi (intellige essentialis) quatenus seipsam repræsentat vt vnicum formale & primarium obiectum ab intellectu ipso Diuino actu cognitum : habet vero rationem ideæ respectu creaturarum, quatenus eas repræsentat vt factibiles, ideo penes illas distinguit intellectus noster in Deo infinitas ideas, ad quarum similitudinem & imitationem potest Deus mundos syncategorematicè infinitos producere, vt de facto istum ab eisdem exemplaribus eduxit, iuxta illud Boetij lib. 3. de consolatione Philosophiæ metro nono.


Tu cuncta superno,
Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens, similique ab imagine formas.

Dico tertiò : Exemplar habet propriè rationem causæ formalis extrinsecæ, quamuis ei etiam competat aliquo modo ratio causæ efficientis & finalis : vnde ad genus causæ formalis simpliciter spectat.

Probatur & declaratur : forma enim vt sic nihil


aliud est quàm actus determinans rem ad certam speciem : atqui exemplar determinat exemplatum, putà domum, ad talem speciem, non quidem intrinsecè & per sui communicationem, sicut forma intrinseca ipsius domus : sed extrinsecè per passiuam sui imitationem, quatenus ad eius similitudinem artifex eam construit : ergo habet rationem causæ formalis extrinsecæ respectu illius. Quòd autem conueniat ipsi ratio causæ efficientis secundùm quid respectu operis faciendi, constat, quia sicut forma naturalis est principium quo agens constituitur in actu primo ad producendum effectum, ita exemplar est id quo artifex constituitur in actu primo ad efficiendum suum artefactum. Et sicut perfectio formæ naturalis mouet ad productionem alterius sibi similis in alio subiecto, & propterea forma naturalis dicitur concurrere in genere etiam causæ finalis ad effectum ; ita perfectio exemplaris intra intellectum artificis existentis mouet ipsum & allicit vt ipsum exterius producat & formet exemplatum ipsi simile : ergo habet etiam rationem causæ finalis respectu exemplati. Cum quibus tamen stat quòd sicut forma naturalis simpliciter habet rationem causæ formalis, & non ita proprie rationem causæ efficientis & finalis ; ita exemplar, quod dicitur forma extrinseca, non respectu artificis intra cuius mentem est, sed respectu artefacti.





DISPVTATIO VIII.

De causa efficiente.



SECTIO I.

Quid & quotuplex sit causa efficiens.

CAVSA efficiens est ea quæ quæ prima omnium influit in effectum: quæ definitio coincidit cum ea quæ à Philosopho traditur, dicente causam efficientem esse illam à qua primò incipit motus, id est, productio rei: & sensus est causam efficientem collatam cum aliis tribus causarum generibus, materiali scilicet, formali, & finali, esse primam quæ causat; primam, inquam, non ordine intentionis, in hoc enim ordine causa finalis est prima omnium quæ influit in effectum, quatenus excitat & allicit agens ad agendum, agens verò sic excitatum & allectum à fine disponit materiam ab eâque educit formam, & facit vt materia causet recipiendo, & forma informando; sed ordine executionis & in exercitio: nisi enim agens ageret, v. g. nisi ignis calefaceret formamque è sinu materiæ educeret, numquam materia reciperet huiusmodi for-

mam, nec forma informaret materiam, nec nouum compositum, quod est finis intentus, subsequeretur. Vnde vera est hæc causalis, quia efficiens agit ideo materia recipit formam, & forma informat materiam & resultat totum: ergo causa efficiens est prior materiali, formali, & finali in executione seu productione effectus.

Diuiditur autem primò causa efficiens in causam per se, & causam per accidens. Causa per se est illa, à qua vt tali procedit effectus: qua ratione musicus est causa per se cantûs, & statuarius statuæ. Causa verò per accidens alicuius effectûs dicitur ea à qua vt tali non procedit per se talis effectus, sed per accidens: qua ratione musicus dicitur causa per accidens statuæ, si eam conficiat, & fodiens terram est causa per accidens inuentionis thesauri; quia huiusmodi effectus non procedunt per se ab illis causis sed à musico cantus, & à fodiente scissio & fossio terræ. Relictâ causa per accidens.

Subdiuiditur causa per se in principalem & instrumentalem. Principalis est illa quæ propria virtute operatur, seu quæ attingit effectum propriam virtutem & perfectionem non excedentem. Vbi per propriam virtutem intelligitur tam illa quæ est connaturalis causæ, quàm ea quæ præternaturaliter ei inest, modò perficiat illam in ordine ad proprium obiectum. Vnde inferes intellectum & voluntatem informatos habitibus supernaturalibus fidei, spei, charitatis, luminis gloriæ, & similibus esse causas principales actuum supernaturalium quos his habitibus mediis eliciunt, quia perfectio horum actuum non excedit perfectionem habituum, qui licet supernaturales sint & indebiti potentiis, sunt tamen propriæ illarum virtutes, quatenus eas perficiunt iuxta propriam earum naturam & in ordine ad propria earum obiecta, verum scilicet & bonum. Causa verò instrumentalis est ea quæ virtute alterius operatur, seu quæ attingit effectum suam propriam virtutem

ſuperantem, vnde ad ipſum producendum virtute à causâ principiali receptâ eleuatur. Eſt autem duplex inſtrumentum, aliud coniunctum vt manus, aliud ſeparatum vt ſerra, dolabra, & huiuſmodi.

Rurſus cauſa principalis ſubdiuiditur in primam & ſecundam. Prima eſt illa à qua cæteræ omnes pendent, ipſa verò ab omnibus eſt independens, & illa eſt Deus ſolus: ſecunda eſt ea quæ in cauſando dependet à prima, quales ſunt omnes cauſæ creatæ.

Diuiditur 2. Cauſa principalis in vniuerſalem & particularem. Vniuerſalis eſt, quæ plures diuerſæ naturæ producit effectus, vel ad eos producendos concurrit cum cauſis inferioribus, cuiuſmodi eſt, ſol, aut cœlum quod in viſceribus terræ producit aurum, in luto ranas & muſcas, in cadauere vermes, cum homine generat hominem, cum equo equum, &c. omnium verò cauſarum vniuerſaliſſima eſt Deus qui omnia producit & conſeruat. Particularis verò eſt ea quæ ad vnum tantum determinatur effectum, vt equus, qui tantùm generat equum.

Diuiditur 3. in æquiuocam & vniuocam: illa attingit effectum vel effectus diuerſæ ſpeciei à ſe: hæc verò eiuſdem.


Diuiditur 4. in totalem & partialem. Totalis eſt, quæ abſque conſortio alterius cauſæ eiuſdem generis & ordinis producit effectum. Partialis verò eſt illa quæ ſine auxilio alterius eiuſdem ordinis cauſæ nequit effectum producere: hoc modo duo homines portantes aliquod pondus, quod neuter ſeorſim geſtare poſſet, dicuntur cauſæ partiales illius lationis.

Diuiditur 5. In cauſam liberam & neceſſariam. Libera eſt quæ pro arbitrio & abſque neceſſitate operatur, ac modò intenſiùs agit modo remiſſius prout vult. Neceſſaria vero, quæ ex neceſſitate naturæ & toto ſemper conatu eodemque modo agit, vt ignis calefaciendo. Alio modo definiri poteſt cauſa libera, quod ſit ea quæ poſitis omnibus ad

agendum requisitis potest agere vel non agere : necessaria verò, quæ positis omnibus ad agendum requisitis non potest non agere.

Diuiditur 6. in causam physicam & moralem. Physica est, quæ verè, realiter, & physicè influit in effectum ; de qua hactenùs locuti sumus : moralis verò, quæ tantùm concurrit ad effectum consulendo, præcipiendo, &c.

Diuiditur vltimo causa principalis in essentialiter subordinatam & accidentaliter subordinatam. Prima est quæ operari non potest sine actuali concursu alterius superioris causæ, quomodo se habet causa secunda respectu primæ. Altera est, quæ licet dependeat aut dependerit ab alia, quantum ad esse, sicut filius à patre, non tamen indiget actuali eius concursu ad hoc vt operetur.



SECTIO II.

Quo principio causa efficiens agat.

DVplex distingui solet agendi principium : principium *quod* & principium *quo*. Principium *quod* dicitur ipsa causa, seu id quod operatur, & est ipsum suppositum ; vnde dicitur quod actiones sunt suppositorum : & ratio est euidens, quia cùm operari sequatur ad esse, illudque præsupponat, eo modo aliquid dicitur operari quo habet esse, solum autem suppositum habet esse vt quod, seu est id quod est : ergo ipsum solum operatur vt quod. Principium verò quo, dicitur id quo mediante suppositum agit aut per quod in actu primo ad agendum producendumque suum effectum constituitur : illud autem supponimus in primis non esse ipsam materiam, cùm illa sit pura potentia omnis actiuitatis expers : &

cùm præter materiam nihil in composito reperiatur nisi forma substantialis & accidentia, de illis solùm est difficultas, in qua.

Dico 1. Principium quo agens attingit principaliter productionem alterius substantiæ, esse formam ipsam substantialem agentis. Est contra Pererium qui solis accidentibus actionem etiam alterius substantiæ productiuam tribuit, puta calori productionem ignis: formas verò substantiales omnino ignauas & otiosas facit.

Probatur tamen conclusio, primò quia idem est primum & principale principium agendi: quod essendi; cùm enim operari sequatur ad esse, & in tantum aliquid agat in quantum est actu, per idem agit, per quod est actu: atqui principium essendi actu in genere substantiæ, est forma substantialis: ergo & principium operandi in eodem genere, seu alteram substantiam producendi, erit ipsamet substantialis forma.

Probatur 2. Per illud principium tanquam per virtutem principalem causa efficiens operatur, per quod formaliter vel eminenter continet suum effectum: atqui sol v. g. per suam formam substantialem continet eminenter perfectionem substantialem auri quod producit in visceribus terræ; similiter ignis per suam formam substantialem præhabet in se perfectionem substantialem alterius ignis quem producit: ergo forma substantialis est principium seu virtus principalis per quam agens producit substantiam. Maior est certa, de ratione enim causæ principalis est quod contineat vel formaliter, si sit vniuoca, vel eminenter & modo perfectiori, si sit æquiuoca, id quod communicat effectui, si quidem non potest dare quod non habet: ergo per illud causat per quod continet, &c. Minor non est minus clara, neque enim materia quæ est imperfectissima & omnis actiuitatis expers, neque accidentia, quæ sunt imperfectiora ipsâ substantiâ quæ producitur, continent perfectiones substantiales huiusmodi effectuum: ergo

ſola forma ſuſtantialis : ipſa verò accidentia , putà lux ſolis, calor ignis, & huiuſmodi concurrent tantum inſtrumentaliter ad productionem ſubſtantiæ vt paragrapho ſequenti magis explicabitur.

Confirmatur : Cauſa aut virtus principalis eſt illa quæ propria virtute operatur & attingit effectum huiuſmodi ,virtutem & perfectionem agentis non excedentem : atqui ſola forma ſubſtantialis, non verò accidentalis id habet reſpectu ſubſtantiæ producendæ, quæ ſine dubio in perfectione ſuperat accidentia : ergo.

Dico tamen 2. Principium quo agens principaliter attingit productionem accidentium eſſe ipſa accidentia quibus eſt inſtructum, ita vt calor ignis v.g. licet inſtrumentaliter ſolùm concurrat ad productionem alterius ignis, vt diximus & vt ampliùs explicabimus in ſequentibus : ad productionem tamen alterius ſimilis caloris concurrat vt virtus principalis. Eſt contra Conimbricenſes qui ex oppoſito Pererij : ſoli formæ ſubſtantiali vt virtuti principali actionem alterius etiam accidentis productinam tribuunt , ipſis verò accidentibus vt virtutibus ſolùm inſtrumentariis.

Probatur tamen concluſio euidenter : quia virtus principalis dicitur illa quæ adæquat aut ſuperat perfectionem ſui effectus ; atqui poteſt vnum accidens adæquare perfectionem alterius , quando eſt ipſi ſimile, & ſic continere ipſum formaliter per modum cauſæ vniuoca, vt calor calorem ; vel ſuperare, quando eſt diſſimile , & ſic continere illud eminenter, per modum cauſæ æquiuocæ, ſicut lux continet calorem : ergo poteſt concurrere & concurrit de facto vt virtus aut principium *quo* principale ad productionem illius. Et rationes pro præcedenti concluſione factæ poſſunt ad hanc etiam principaliter applicari.

§. Vnicus.

Quo principio causa efficiens immediatè agat.

Ex dictis constat causam efficientem agere per suam formam substantialem, tanquam per principium seu virtutem principalem, in productione alterius substantiæ. Difficultas verò est vtrum huiusmodi forma sit principium mediatè tantùm, aut etiam immediatè operatiuum. Hoc secundum asserunt Scotus & Scotistæ, voluntque ignem v. g. per suam substantialem formam immediatè attingere alterius ignis productionem, calorem vero solùm disponere & præparare materiam.

Dico tamen cum omnibus Thomistis nullam substantiam creatam, nec subindè vllam substantialem formam esse proximè & immediatè operatiuam, sed suas omnes operationes & actiones, siue immanentes siue transeuntes, elicere mediis facultatibus & virtutibus actiuis, quæ sunt ipsius proprietates aut accidentia: ita quòd forma substantialis sit quidèm principalis virtus, seu principium omnium huiusmodi operationum, sed radicale dumtaxat & mediatum; accidentia verò sint proxima & immediata principia illarum, instrumentalia quidem respectu productionis alterius substantiæ, principalia vero in ordine ad cæteras actiones. Hæc conclusio solùm indiget probatione quoad primam partem, nempe quòd substantia non sit principium immediatè operatiuum, hoc enim posito euidens erit id non posse competere nisi accidentibus quæ suprà ostendimus esse causas principales respectu aliorum accidentium sibi similium, respectu verò productionis substantiæ non posse esse nisi virtutes instrumentales.

Probatur prima pars conclusionis : Substantia & potentia immediatè operatiua in creaturis realiter distinguuntur : ergo substantia creata non est immediatè operatiua. Consequentia est euidens : antecedens verò probatur sic : Potentiæ per se primò respicientes diuersos actus primarios & adæquatos, realiter & essentialiter ab inuicem distinguuntur: atqui substantia creata & potentia immediatè operatiua per se primo respiciunt actus diuersi ordinis primarios & adæquatos : ergo: maior patet, potentiæ enim essentialiter diuersificantur penes diuersitatem actuum adæquatorum, quos per se primo respiciunt, & manifestam implicat contradictionem quod vna & eadem ordinetur per se primo ad diuersos. Minor vero probatur : esse substantiale & operari sunt actus realiter distincti & omnino diuersi ordinis in creaturis, cùm vnus sit substantialis, alter accidentalis : atqui substantia creata per se primo ordinatur ad esse substantiale tanquam ad proprium actum, non vero ad operationem nisi secundariò: è contra vero potentia immediatè operatiua per se primo ordinatur ad operationem, & non ad esse; & insuper respiciunt huiusmodi actus sub diuersis rationibus formalibus, substantia quidem respicit esse per modum causæ materialis ipsius, potentia vero immediatè operatiua respicit suam operationem sub ratione causæ efficientis. Vnde D. Thomas prima parte quæst. 54. ex eo quod in solo Deo idem omnino sit esse & operari, infert in ipso solo potentiam immediatè operatiuam identificari cum substantia,

Probatur 2. seu potiùs confirmatur ratio præcedens : Omnis potentia proximè actiua in creaturis est accidens : ergo substantia non est seipsâ immediatè actiua. Probatur antecedens : potentia actiua per se primo respiciens actum accidentalem, est accidens, sed potentia immediatè operatiua in creaturis per se primò respicit actum accidentalem, videlicet suam propriam operationem quæ est acci-

dens vel de prædicamento qualitatis, si sit immanens, vel de prædicamento actionis, si sit transiens: ergo. Maior de quâ solâ est difficultas probatur: primò ex illo axiomate philosophico *actus & potentia sunt in eodem genere*, quod de potentia & actu per se primò ipsi correspondente intelligi debet, ita vt si actus sit substantia, potentia quæ per se primò illum respicit, debeat esse substantia, vt patet in materia prima respectu formæ; si verò actus fuerit accidentalis, potentia per se primò illum respiciens sit etiam accidentalis: & ratio est, quia potentia specificatur ab actu quem per se primò respicit, cùm per ordinem ad illum essentialiter definiatur: ergo debent esse eiusdem generis. Secundò, quia nulla substantia per se primò respicit accidens, aliàs in sua essentiali & specifica ratione dependeret ab illo, nec posset definiri nisi per ordinem ad illud: ergo potentia actiua per se primò respiciens actum accidentalem nequit esse substantia sed accidens.

Probatur tertiò: Per eam virtutem immediatè operatur agens per quam adest vbi elicitur operatio: sed agens creatum sæpius operatur vbi non adest secundùm suam substantiam, sed solùm secundùm accidentia & virtutes quasdam instrumentales actiuas quas ex se emittit: ergo non operatur immediatè per suam substantiam, sed per accidentia illa. Minor probatur & declaratur; nam Sol, e. g. mediis quibusdam occultis qualitatibus & influentiis instrumentaliter concurrentibus producit aurum in visceribus terræ; generans mediante semine vti instrumento producit fœtum, ignis medio calore in ferrum introducto producit alium ignem, & in Eucharistia accidentia vini consecrati conuertunt aquam in vinum, si in modicâ quantitate infundantur: & nihilominus substantiæ huiusmodi agentium non adsunt secundùm se vbi tales effectus producuntur, neque enim substantia Solis est in visceribus terræ, nec generans adest secundùm suam substantiam vbi producitur fœtus, nec similiter substantia vini con-

uersa in sanguinem Christi adest in casu dicto: dicendum ergo est substantias creatas non operari immediatè, sed sola accidentia in virtute substantiæ.

Obiicies 1. Si substantia creata non esset immediatè operatiua, aut hoc esset propter perfectionem; aut propter imperfectionem: neutrum dici potest: ergo. Minor probatur, & primò quòd non propter perfectionem, quia substantia Diuina est infinitè perfectior creatâ, & tamen est immediatè operatiua: secundò quod non propter imperfectiorem, quia accidentia sunt imperfectiora substantiis creatis, & tamen sunt immediatè operatiua.

Respondeo hoc non prouenire præcisè ex perfectione nec ex imperfectione absolutè, sed ex medio quodam statu inter summam Dei perfectionem & accidentism imperfectionem, seu quod idem est ex perfectione substantiæ creatæ admixtâ imperfectioni. Ex summâ enim perfectione prouenit quòd substantia Diuina sit immediate operatiua, ex eo scilicet quòd operatio eius non sit accidens, sed ipsamet Dei substantia, vnde & potentia quæ illam respicit debet esse substantia: ex imperfectione autem accidentis oritur quòd sit immediate operatiuum principium, ex eo scilicet quòd possit per se primò respicere operationem accidentalem & ab ea specificari: & quia substantia creata nec est ita perfecta, vt operatio eius sit substantialis, nec ita imperfecta, vt possit per se primò respicere actum accidentalem (qualis est operatio eius) & ab eo specificari: inde est quòd ex perfectione ipsius mediâ inter substantiæ diuinæ infinitam perfectionem & imperfectionem accidentium, oritur quod non sit immediate operatiua.

Obiicies 2. Accidens non potest effectiuè attingere productionem substantiæ: ergo sola substantia immediatè operatur in huiusmodi productione. Probatur antecedens: Omnis causa efficiens debet esse proportionata suo effectui: accidens non est proportionatum substantiæ: ergo non potest esse causa efficiens illius.

Respondeo accidens præcisè non posse attingere productionem substantiæ, bene autem quatenus est virtus instrumentaria ipsius substantiæ quæ medio illo operatur. Ad probationem distinguo maiorem: causa efficiens principalis, concedo: causa aut virtus instrumentaria, nego: quæ distinctio, minori concessâ, applicanda est consequentiæ, accidens enim est tantùm virtus instrumentaria respectu substantiæ.

Dices: causa instrumentalis recipere debet à causa principali aliquam virtutem aut influxum quo fiat potens attingere eius effectum, cui secundum se non est proportionata; ergo si accidens concurrat vt instrumentum ipsius substantiæ ad productionem alterius substantiæ, debet substantia operans influere illi aliquid, atque adeo erit immediate operatiua: saltem respectu illius influxùs.

Respondeo antecedens esse verum de causa instrumentali propriè dicta, qualis est serra aut securis; non autem de virtute ipsâ instrumentariâ quale est accidens, putà calor ignis, qui hoc ipso quòd est proprietas seu propria virtus igni à natura indita, manet habitualiter eleuatus & sufficienter potens ad hoc vt tanquam virtus instrumentaria ignis agentis valeat alterum ignem producere.

Instabis: Calor in quantum virtus ignis non addit aliquid supra seipsum secundum suam speciem & entitatem caloris consideratum: atqui calor secundum suam speciem præcisè consideratus non potest producere ignem: ergo neque vt est virtus ignis.

Respondeo quod licet esse virtutem instrumentalem ignis non addat aliquid entitati caloris realiter distinctum, addit tamen aliquid distinctum virtualiter siue formaliter, scilicet specialem illum vigorem quo potest ignem producere, qui vigor non competit calori vt sic, sed tali, nimirum calori ignis: & sicut illa formalitas distinguens calorem ignis à calore naturali animalis, qui in eo producit carnes, non est quid realiter distinctum à calore vt sic; ita nec vigor ille, sed est ipsemet calor vt dimanans ab igne aut ab

animali, ipsisque tanquam principiis radicalibus & principalibus subordinatus.

Obiicies tertio; Actio generatiua seu productiua substantiæ: non potest immediate elici ab accidente: ergo à substantia immediate procedit. Probatur antecedens: actio immediatè elicita ab accidente est tantum productiua alterius accidentis similis; ergo actio generatiua substantiæ non est actio immediatè elicita ab accidente.

Respondeo actionem caloris, V. G. posse dupliciter considerari: primò vt est à calore præcisè sumpto, & sic est tantùm actio alteratiua seu productiua alterius caloris: secundò in quantum est à calore vt virtute instrumentali ignis, & sic est actio introductiua vltimæ dispositionis ad formam ignis, subindéque generatiua illius: vnde sicut calor in quantum est virtus ignis non distinguitur realiter à seipso absolutè sumpto; ita nec actio generatiua seu instrumentaliter productiua alterius ignis distinguitur à seipsa vt alteratiua seu productiua caloris qui prout in gradu summo est vltima ipsa dispositio. Quo posito in forma nego antecedens; vel distinguo: non potest elici ab accidente præcisè sumpto secundum suam rationem specificam, concedo: vt est virtus substantiæ, nego. Ad probationem similiter distinguo: actio elicita ab accidente secundùm propriam virtutem & speciem considerato est tantùm productiua alterius accidentis sibi similis, concedo: elicita ab eo vt est virtus substantiæ, nego: sic enim attingit vltimam dispositionem, subindéque ipsam formam substantialem.

Dices generatio per se primò terminatur ad formam substantialem: ergo distinguitur realiter ab actione alteratiua & introductiua vltimæ dispositionis.

Respondeo distinguendo antecedens: Generatio vt actio, nego: (vt talis enim terminatur primariò ad vltimam dispositionem ad quam sequitur, tanquam terminus ordine executionis secundarius, ipsa

forma substantialis, seu quod idem est, generatio in quantum mutatio materiæ de priuatione ad formam:) in quantum est ipsa mutatio, concedo: ex quo ad consequentiam respondendum generationem in quantum actionem non distingui ab actione vltimæ dispositionis introductiuâ, sed solùm vt mutationem, ex quo nihil contra nos.

Obiicies vltimò: substantia est causa efficiens suarum proprietatum seu accidentium quibus mediantibus operatur: ergo est immediatè actiua respectu illorum; si enim mediantibus aliis illa produceret; daretur processus in infinitum, vel tandem deueniendum esset ad aliqnod quod immediatè efficeretur à substantia.

Confirmatur: nam aqua bulliens, amoto igne, seipsam immediatè reducit ad pristinam frigiditatem: ergo habet propriam actionem. Probatur antecedens: nam cum calore ita intenso nihil frigiditatis remanet in aqua quo possit seipsam reuocare ad pristinum statum: ergo

Respondeo proprietates aut accidentia quæ sunt virtutes operatiuæ connaturales substantiæ, produci per veram efficientiam & actionem physicam à generante tanquam terminos secundarios operationis illius; quamuis per simplicem resultantiam quæ vocatur actio metaphysica & impropria, dimanent ab essentia substantiæ vt à termino principali & saltem ordine intentionis primario actionis generatiuæ: vnde non sequitur substantiam esse immediatè operatiuam, operatione propriè dictâ, respectu huiusmodi accidentium, sed impropriâ dumtaxat. Ex quibus patet ad confirmationem: nam in casu proposito frigiditas non efficitur ab aqua per propriam actionem, sed per simplicem resultantiam ab ea dimanat. Causa verò efficiens propriè dicta illius est generans, sicut de aliis proprietatibus diximus, & magis explicabimus in libris de generatione disp. 1. Et si dicas: non adesse tunc generans quando aqua recuperat frigiditatem, respondeo non adesse

formaliter in seipso, benè autem in sua virtute, quatenus est ibi forma aquæ à generante producta quæ huiusmodi frigiditatem exigit.



SECTIO III.

Quænam sit causalitas causæ efficientis.

POstquam vidimus quænam sint virtutes quibus causa efficiens constituitur in actu primo, tùm remoto, tùm proximo, potens ad operandum, superest resoluendum quænam sit causalitas illius quâ constituitur formaliter causans seu efficiens in actu secundo.

Suares, Conimbricenses, & alij docent causalitatem agentis esse actionem, Thomistæ verò volunt esse ipsum agere. Sed hæ duæ sententiæ differunt tantùm in modo loquendi: actio enim & agere differunt solùm sicut abstractum & concretum, vnde sicut album, v. g. idem significat de formali quod albedo, licet diuersimodè, ita agere idem quod actio. Est tamen diuersitas in modo significandi, quia actio significat talem formam in abstracto & quasi per se stantem; at verò agere significat eandem formam seu actionem vt concernit agens à quo exercetur, vno verbo significat actionem prout exercitam. Quando ergo Suares & alij dicunt actionem esse causalitatem agentis, non loquuntur de ipsâ in abstracto, sed in concreto & vt exercitâ, sicut ex rationibus illorum constare potest, & sic non differunt à sententiâ Thomistarum nisi in modo loquendi. Vnde breuiter.


Dico actionem vt exercitam siue agere esse causalitatem efficientis.


Probatur

Probatur : Causalitas propria cuiuslibet causæ est ille influxus, quo in proprio genere constituitur actu causans, seu in actu secundo influens in effectum ; sed agens constituitur in actu secundo causans & influens in effectum per hoc quod est agere seu exercere actionem : ergo agere seu actio vt exercita est propria causalitas agentis. Probatur minor : posito enim exercitio actionis intelligitur effectus actualiter poni & dependere à causa efficiente : ergo influit in illum per actionem vt exercitam. Vnde cùm ly agere denotet actionem vt exercitam ab agente, ly verò actio vt signatam & veluti ab agente abstractam, conuenientiùs priori modo exprimitur causalitas agentis, quod non intelligitur agere per actionem vt abstractam.

Obiicies : Agens mediâ actione communicat esse suo effectui : ergo illa est eius causalitas. Confirmatur : Causalitas materiæ & formæ dicitur sustentatió aut informatio, non verò sustentare vel informare : ergo à pari.

Respondeo distinguendo : Media actione veluti in actu signato, nego : in actu exercito, concedo, qua ratione melius exprimitur verbo *agere* quàm nomine actionis. Ad confirmationem respondeo causalitatem similiter materiæ & formæ melius & formalius exprimi verbis illis *sustentare* aut *informare*, quàm nominibus sustentationis vel informationis, ob eandem proportionaliter rationem.





SECTIO IV.

De concursu causæ primæ cum secundis.

Constat ex hactenus dictis causas secundas habere virtutes & principia quibus constituantur permanenter & habitualiter in actu primo ad agendum: superest modò resoluendum an præter huiusmodi virtutes operatiuas indigeant influxu aliquo seu concursu actuali causæ primæ vt in actu secundo operentur. Pro resolutione.

Dico Deum actu & immediatè concurrere ad omnes actiones causarum secundarum, ita vt sine actuali illius influxu nullum agens creatum possit in actum secundum prorumpere. Hæc conclusio est communis contra errorem Durandi existimantis Deum mediatè solum concurrere ad actiones causarum secundarum, quatenus ipsis in sui productione contulit virtutes operatiuas quibus mediantibus absque nouo Dei concursu vult causas secundas operari.

Probatur tamen: Omne agens per se & immediatè influit in proprium effectum, seu in illud omne quod sub primario illius effectu continetur: atqui omnis actio creaturæ continetur sub effectu primario causæ primæ: ergo causa prima immediatè influit in omnem actionem creaturæ. Maior est euidens: primarius enim effectus alicuius causæ dicitur ille qui per se primò & immediatè attingitur ab illa, quem proinde implicat reperiri à parte rei sine immediato illius influxu. Minor verò probatur. Primarius effectus causæ primæ seu diuinæ omnipotentiæ est omne ens participatum & de-

ndens; causæ enim vniuersalissimæ correspon-
ere debet effectus omnium vniuersalissimus, qualis
t ille: atqui actio & effectus causæ creatæ est ens
rticipatum & dependens, vt constat, cùm so-
s Deus sit ens per essentiam independens, & à se:
go

Dices: hæc ratio nimis probat, probat enim Deum
nnia se solo & absque interuentu causarum se-
ndarum efficere, quod est omnino falsum & er-
reum.

Respondeo rationem nostram solum conuincere
od Deus tanquam causa vniuersalissima immedia-
attingat omnes effectus & operationes quas cau-
secundæ immediatè etiam producunt vt agentia
ticularia: Vnde diligentissimè nota inter agens
mum & secundum non esse subordinationem
diati & immediati, sed vniuersalis & parti-
aris.

Probatur 2. In agentibus essentialiter subordina-
inferius non causat nisi dependenter à superio-
ctu concurrente: sed Deus est causa prima, cui
ntialiter subordinantur omnes causæ creatæ; Er-
nulla causa creata potest agere nisi Deo cum ip-
actualiter concurrente. Maior constat, subordina-
enim essentialis causarum in hoc sita est quòd
alitas inferioris essentialiter & indispensabiliter
endeat à causalitate & influxu superioris, sicut
rdinatio connaturalis quam habent causæ sublu-
s ad corpora cœlestia consistit in hoc quòd cau-
ates horum inferiorum nequeant naturaliter lo-
do exerceri sine influxu illorum. Minor verò
est minus euidens: causæ enim creatæ sicut es-
aliter dependent à Deo in essendo, ita in causan-
aliàs essent causæ independentes atque adeò pri-
in illa autem dependentiâ consistit subor-
tio.

Obiicies 1. Deus non concurrit immediatè &
eipsum cum causa materiali & formali: ergo
um efficienti.

Respondeo distinguendo antecedens. Non concurrit immediatè per modum causæ materialis aut formalis, quasi ipsemet substentet aut informet, concedo: quia sustentatio & informatio dicunt imperfectionem partis cujus vices nequit Deus se ipso supplere: per modum causæ efficientis, nego: ipse enim vna cum causa secunda tanquam agente particulari effectiuè vnit materiam cum forma, subindéque facit vt materia substentet & forma informet, vnde negatur consequentia.

Obiicies 2. Causæ principales agunt sine ope alterius: atqui causæ secundæ sunt principales respectu propriorum effectuum, ergo agunt sine ope & concursu alterius causæ, subindéque Deus non concurrit cum ipsis immediatè, sed mediatè tantùm, quatenus dat eis virtutes operatiuas, easque conseruat.

Respondeo distinguendo maiorem a Sine ope alterius causæ eiusdem ordinis & particularis, concedo: Superioris ordinis & vniuersalis nego: Sensus est non esse de ratione causæ principalis vniuersaliter loquendo, quòd independenter à concursu & ope alterius suum producat effectum, hoc enim proprium est solius causæ primæ; sed tantùm quòd possit operari sine concursu alterius causæ particularis, & habeat virtutem effectiui proportionatam, quod non tollit subordinationem quam debet habere in operando causa secunda respectu primæ.

Vrgebis: Causa secunda principalis est proportionata & totalis respectu sui effectus: ergo non indiget concursu causæ superioris, nec subindè causæ primæ in ordine ad illum.

Respondeo negando consequentiam: quantumuis enim proportionata sit & totalis in ordine causæ creatæ debet tamen sicut in esse, ita in operari à concursu causæ primæ dependere; similiter actio ac effectus eius, cum sint entia per participationem & extra Deum, omninò etiam dependere debent ab ente per essentiam & à causalitate Dei.

§. I.

Qualis sit concursus ille, præuiusne scilicet, an simultaneus duntaxat.

CONuenit inter omnes, Deum ad cunctas causarum secundarum operationes concurrere concursu saltem simultaneo & concomitante qui nihil aliud est quam ipsa actio causæ secundæ, quæ prout est à Deo appellatur concursus Dei, prout à causa secunda dicitur concursus causæ secundæ: in hoc inquam omnes consentiunt, idque apertè conuincunt rationes in superioribus factæ, probant enim Deum immediatè concurrere ad omnes agentium creatorum actiones quæ subindè ab ipso & à causa secunda simul procedunt in quo consistit simultaneus concursus:

Sed maxima est inter authores contentio & controuersia his præcipuè temporibus celeberrima, vtrum Deus non solum concursu illo simultaneo, quo nihil influit in causam secundam, sed simul cum ipsa in actionem & effectum, concurrat; sed etiam influxu quodam præuio in ipsa causa prius natura quàm operetur, recepto, quo eam ad agendum physicè præmoueat & prædeterminet: qui proinde concursus, aut influxus, si detur, conuenienter appellabitur præmotio aut prædeterminatio physica: præmotio quidem, quia cum detur ad hoc vt faciat causam secundam operari, debet natura & causalitate, licet non tempore, antecedere motionem siue actionem propriam causæ secundæ: prædeterminatio verò, quia determinat causam secundam ad agendum, eiusque determinationem seu operationem naturâ & causalitate, vt dictum est, præcedit: dicitur tandem phy-

Respondeo distinguendo antecedens. Non concurrit immediatè per modum causæ materialis aut formalis, quasi ipsemet substentet aut informet, concedo: quia sustentatio & informatio dicunt imperfectionem partis cuius vices nequit Deus se ipso supplere: per modum causæ efficientis, nego: ipse enim vna cum causa secunda tanquam agente particulari effectiuè vnit materiam cum forma, subindéque facit vt materia substentet & forma informet, vnde negatur consequentia.

Obiicies 2. Causæ principales agunt sine ope alterius: atqui causæ secundæ sunt principales respectu propriorum effectuum, ergo agunt sine ope & concursu alterius causæ, subindéque Deus non concurrit cum ipsis immediatè, sed mediatè tantùm, quatenus dat eis virtutes operatiuas, easque conseruat.

Respondeo distinguendo maiorem: Sine ope alterius causæ eiusdem ordinis & particularis, concedo: Superioris ordinis & vniuersalis nego: Sensus est non esse de ratione causæ principalis vniuersaliter loquendo, quòd independenter à concursu & ope alterius suum producat effectum, hoc enim proprium est solius causæ primæ; sed tantùm quòd possit operari sine concursu alterius causæ particularis, & habeat virtutem effectui proportionatam, quod non tollit subordinationem quam debet habere in operando causa secunda respectu primæ.

Vrgebis: Causa secunda principalis est proportionata & totalis respectu sui effectus: ergo non indiget concursu causæ superioris, nec subindè causæ primæ in ordine ad illum.

Respondeo negando consequentiam: quantumuis enim proportionata sit & totalis in ordine causæ creatæ debet tamen sicut in esse, ita in operari à concursu causæ primæ dependere; similiter actio ac effectus eius, cum sint entia per participationem & extra Deum, omninò etiam dependere debent ab ente per essentiam & à causalitate Dei.

§. I.

Qualis sit concursus ille, præuiusne scilicet, an simultaneus duntaxat.

CONuenit inter omnes, Deum ad cunctas causarum secundarum operationes concurrere concursu saltem simultaneo & concomitante qui nihil aliud est quam ipsa actio causæ secundæ, quæ prout est à Deo appellatur concursus Dei, prout à causa secunda dicitur concursus causæ secundæ: in hoc inquam omnes consentiunt, idque apertè conuincunt rationes in superioribus factæ, probant enim Deum immediatè concurrere ad omnes agentium creatorum actiones quæ subindè ab ipso & à causa secunda simul procedunt in quo consistit simultaneus concursus:

Sed maxima est inter authores contentio & controuersia his præcipuè temporibus celeberrima, vtrum Deus non solum concursu illo simultaneo, quo nihil influit in causam secundam, sed simul cum ipsa in actionem & effectum, concurrat; sed etiam influxu quodam præuio in ipsa causa prius natura quàm operetur, recepto, quo eam ad agendum physicè præmoueat & prædeterminet: qui proinde concursus, aut influxus, si detur, conuenienter appellabitur præmotio aut prædeterminatio physica: præmotio quidem, quia cum detur ad hoc vt faciat causam secundam operari, debet natura & causalitate, licet non tempore, antecedere motionem siue actionem propriam causæ secundæ: prædeterminatio verò, quia determinat causam secundam ad agendum, eiusque determinationem seu operationem naturâ & causalitate, vt dictum est, præcedit: dicitur tandem phy-

sica, ad differentiam prædeterminationis moralis, quæ nihil aliud est quam instinctus quidam qui fit mediâ propositione obiecti, admonitione, præcepto, suasione, & similibus, quibus aliquando inuitamur & moraliter mouemur ad aliquid agendum: physica verò præmotio est aliqua qualitas aut realis motio & influxus à primo agente immissus & receptus in causa secunda efficaciter ipsam inclinans & applicans ad agendum, vnamquamque tamen conformiter ad propriam ipsius naturam vt in sequentibus explicabitur. Pro resolutione.

Dico Deum omnes causas secundas tam liberas quàm necessarias quantumuis per sua principia & & virtutes naturales in actu primo completas præmouere & prædeterminare physicè ad agendum. Hanc conclusionem præter omnes Thomistas docent alij innumeri; & nonnulli etiam ex patribus societatis (cæteris reclamantibus) vt Bellarminus lib. 4. de gratia cap. 16. Cosmas Alamannius primâ secundæ summæ Philosophiæ quæst. 11. art. 4. Michaël Marcus, Henricus Henriques, Pererius & alij.

Probatur: omne agens secundum subordinatur essentialiter primo & ab eo dependet non solùm in esse entis & in ratione principij habitualis suæ operationis, sed etiam in ratione principij actualis eiusdem: ergo debet ab eo physicè præmoueri & prædeterminari ad operandum. Antecedens est omnino certum & euidens: tum quia esse principium actuale operationis est aliquid reale extra Deum subindéque dependens ab illo: tum quia si creatura esset independens à Deo in ratione principij actualis suæ operationis iam esset primum principium & prima causa respectu illius, in hac enim independentia consistit formaliter ratio primi principij, primi agentis aut mouentis, & primæ causæ. Consequentia verò, de qua sola est controuersia, sic efficaciter suadetur: Vt agens secundum in ratione principij actualis suæ operationis dependeat à Deo, debet ab ipso recipere præuiam aliquam motionem aut influ-

xum quo in ratione talis principij constituatur, seu de actu primo ad secundum reducatur: sed nomine physicæ præmotionis aut prædeterminationis nihil aliud intelligitur: ergo.

Tota difficultas est in maiori, vt constat, quam inficiantur aduersarij dicentes agens secundum non constitui in ratione principij actualis suæ operationis per aliquid præuium ad eam, atque ita non esse opus quòd tale quid in se recipiat ad hoc vt dicatur in illa ratione principij subordinari Deo seu ab eo dependere: sed constitui per ipsammet operationem actu elicitam, quæ cùm dependeat à Deo simultanter seu concomitanter cum ipso agente secundo in eam influente, dicetur proinde ipsum agens secuncundum dependere ab illo in ratione etiam principij actualis talis operationis beneficio solius concursus simultanei.

Sed contra probatur illa maior, & impugnatur hæc aduersariorum responsio: quia agens secundum debet necessariò constitui in ratione principij actualis suæ operationis per aliquid præuium ad eam, & non potest per ipsammet in ratione talis constitui: ergo responsio nulla. Probatur antecedens sic: id à quo effectiuè procedit operatio, nequit esse ipsamet operatio, sed aliquid præuium ad eam & in agente receptum: atqui operatio procedit effectiuè à principio actuali vt tali, id est vt constituto in ratione principij actualis, atque adeo à constitutiuo ipsius formaliter in ratione talis: ergo constitutiuum huiusmodi in ratione principij actualis ipsius operationis nequit esse ipsamet operatio, sed debet esse quid præuium ad eam. Ex quo sequitur subordinationem quidem, & dependentiam operationis & effectus causæ secundæ à prima saluari sufficienter per concursum simultaneum, non autem subordinationem in ratione principij actualis.

Confirmatur & explicatur, aduertendo principium actuale posse dici dupliciter primò effectiuè, aut vt alij dicunt applicatiuè: secundò formaliter.

Principium actuale effectiuè sumptum idem est ac principium in actu secundo constitutum & applicatum ad eliciendam operationem : principium verò actuale formaliter sumendo ly actuale, est idem ac principium vt iam vltimò actuatum & completum per ipsam actionem elicitam. Hoc posito confirmo argumentum.

Quamuis causa secunda constituatur in ratione principij actualis formaliter & vltimatè per ipsam operationem , debet tamen priùs naturâ constitui in ratione principij actualis effectiuè influentis in illam per aliquid præuium principio habituali superadditum : ergo debet præmoueri. Probatur antecedens : Principium actuale influens in actionem antecedit illam prioritate naturæ & causalitatis cùm sit actualis causa illius : ergo debet constitui tale per aliquid præuium ad eam.

Dices principium actuale effectiuè influens in actionem esse solam virtutem actiuam causæ secundæ quæ se ipsa , Deo ex parte sua simul concurrente & cooperante, elicit actionem absque alio influxu sibi superaddito.

Sed contrà : quia virtus actiua causæ secundæ habitualiter in ipsa permanens de se est tantùm in potentia & in actu primo ad agendum : ergo vt actu agat & eliciat operationem indiget aliquo sibi superaddito quo de potentia seu de actu primo reducatur ad actum secundum.

Dices : Ipsamet , Deo simul concurrente , se reducit per suam operationem.

Sed contra : quia debet reduci vt operetur : ergo non per ipsam operationem reducitur , sed per aliquid præuium.

Confirmatur : quod de se non est tale , debet fieri tale per aliquid sibi superadditum : atqui agens secundum de se non est actu influens in operationem , sed solum in potentia : ergo vt sit actu influens requirit aliquid superadditum , aliàs si nihil ipsi superaddatur manebit semper in potentia ,

indifferens, & indeterminatum.

Innumera alia in probationem nostræ conclusionis tum Philosophica tum Theologica afferri possunt argumenta, sed hoc vnicum quod omnino efficax est, sufficiet, subordinatio scilicet & dependentia quam causa secunda habere debet in causando à prima, ex qua oritur quod illam applicare debet ad agendum & constituere in ratione princip j actualis, quod sine aliquo influxu in ipsa causa secunda recepto fieri non posse ostendimus, atque adeò admittendus est influxus ille seu prædeterminatio. Contra quam

Obiicies 1. Si daretur physica prædeterminatio, vel illa esset quædam motio duntaxat, vel virtus aliqua seu qualitas actiua: non primùm, quia motio debet habere aliquem terminum, qui in præsenti non videtur posse assignari: nec secundùm, quia alias cum omnis virtus actiua creata, iuxta nostra principia, indigeat præmotione qua reducatur ad actum, si præmotio esset virtus actiua, indigeret alia præmotione, & sic in infinitum: ergo, &c.

Respondeo physicam prædeterminationem esse quamdam motionem seu influxum per modum transeuntis receptum in causa secunda influit enim & transit cum ipsa operatione ad quam datur: huius autem motionis terminus *qui* est effectus ipsius causæ secundæ; terminus autem *quo* est actio eiusdem quâ mediante attingitur effectus. Vtrùm verò sit motio duntaxat, an etiam sit eminenter virtus actiua, seu vt alij dicunt motio virtuosa, est alia difficultas: illi enim qui volunt prædeterminationem non dari præcisè ad actum secundum, sed etiam quodammodo se tenere ex parte actus primi, tribuendo causæ secundæ vim ad instrumentaliter attingendam in suo effectu proprio (putà igne) rationem entis, quæ est primarius effectus causæ primæ, subindeque à nulla alia producibilis nisi virtute à prima causa recepta, dicunt consequenter prædeterminationem esse motionem virtuosam seu qualitatem & virtutem acti-

uam transeuntem: nobis verò, qui pro nunc necessitatem præmotionis admittendæ ex illo capite non petimus, sed ex sola subordinatione & dependentia causæ secundæ à prima quoad actum secundum, sufficit dicere, quod sit motio mouens & applicans causam secundam ad operandum. Et quicquid sit, respondendum est ad id quod subditur, prædeterminationem non indigere alia motione qua applicetur & reducatur ad actum cùm sit essentialiter ipsamet applicatio, sicut actio non indiget alia actione qua fiat, nec relatio alia relatione qua referatur, quia quod est per se tale non debet fieri tale per aliud.

Obiicies 2. Causa in suo ordine completa non indiget aliquo superaddito vt operetur: atqui causa secunda, saltem principalis, est completa in ordine causæ secundæ: ergo non indiget prædeterminatione.

Respondeo negando maiorem: quamuis enim non indigeat aliquo quo compleatur, quia complementum propriè intelligitur ex parte actus primi in quo est se completa, indiget tamen quo operetur in actu secundo, eo quod ex se non sit in ratione actualis principij constituta. Vnde potest secundo responderi distinguendo maiorem: Causa completa in ratione principij habitualis duntaxat, nego: habitualis & actualis, concedo: causa verò secunda licet sit completa in ratione principij habitualis, seu in actu primo vt dixi, & subinde ex parte illius non indigeat aliquo superaddito, secùs tamen in ratione principij actualis.

Obiicies 3. Omnes causæ secundæ sunt vel necessariæ vel liberæ: atqui neutræ indigent prædeterminatione: non quidem necessariæ, quia hæ ex natura sua sunt determinatæ ad agendum, ita vt miraculum foret, si ignis e.g. propè stupam positus non combureret: sed nec etiam liberæ, quia proprium illarum est quod ipsæ se determinent, atque adeò quod non determinentur ab alio.

Respondeo negando vtramque partem minoris;

Ad probationem primæ distinguo : Ex natura sua sunt determinatæ quoad speciem operationis & effectus, putà ignis ad calefaciendum, ita vt non possit facere contrarium, concedo : quoad exercitium, ita vt non possit suspendere actionem, subdistinguo; positis omnibus conditionibus ad agendum requisitis, concedo (& in hoc differt causa naturalis à libera quæ positis omnibus potest adhuc non agere, aut agere oppositum) non positis illis, nego : illa autem prærequisita sunt non solùm conditiones extrinsecæ, puta approximatio ad passum, sed maximè ipse influxus præuius causæ primæ, quo debet intrinsecè constitui in ratione principij actualis suæ operationis. Ideò autem miraculum foret si ignis approximatus calefactibili non calefaceret, quia miraculum esset quòd Deus agenti necessariò denegaret influxum illum & concursum quem titulo connaturalitatis exposcit positis aliis conditionibus. Ad probationem autem secundæ partis minoris patebit ex infrà dicendis proprium esse causæ secundæ liberæ quod se determinet dependenter à determinatione primæ.

§. 2.

Soluuntur difficiliores obiectiones contra prædeterminationem, & cum ea conciliatur nostra libertas.

OBiiciunt prætereà aduersarij concursus præuius seu physica prædeterminatio tollit libertatem: ergo non debet admitti. Probatur antecedens : De ratione libertatis est indifferentia ad agendum vel non agendum : sed physica prædeterminatio tollit illam indifferentiam, siquidem determinat ad vnum; ergo, &c.

Dico tamen præmotionem physicam determinantem efficaciter & infallibiliter voluntatem ad agendum, nullo prorſus modo lædere eius libertatem. Vt probetur, & obiectiones ſoluantur.

Nota duplicem in voluntate noſtra reperiri indifferentiam : vnam potentialem aut priuatiuam, quæ eſt ſuſpenſio ab omni actu, & eſt quando voluntas eſt merè indifferens & in potentia ad vtrumlibet , nec magis inclinata ad amorem V. G. quam ad odium , quæ indifferentia potentialis aufertur à voluntate cùm de potentia reducitur ad actum, ſubindéque non eſt de ratione libertatis , aliàs quotieſcumque operaremur in Sententia etiam aduerſariorum amitteremus libertatem ; altera indifferentia eſt eſt actualis , quam habet voluntas dum elicit vnum actum cum potentia ad non eliciendum ſi velit , & hæc indifferentia eſt propria libertati, nec poteſt auferri niſi auferatur ipſa libertas. Quo poſito.

Probatur concluſio : De ratione libertatis non eſt indifferentia merè potentialis ſeu ſuſpenſio ab omni actu, ſed ſolùm indifferentia actualis , id eſt quòd quando voluntas elicit vnum actum, habeat potentiam ad faciendum oppoſitum : atqui prædeterminatio poſita in voluntate non aufert , ſed potiùs confert & cauſat hanc indifferentiam actualem ; ergo non tollit libertatem. Probatur minor : quia præmotio diuina ita accommodatur genio & conditioni cauſarum ſecundarum vt non ſolùm faciat vnamquamque infallibiliter operari , ſed etiam eo modo operari quo congruit naturæ illius , atqui ſicut congruit naturæ cauſarum neceſſariarum quòd operentur neceſſariò & ſine potentia ad oppoſitum , ita congruit naturæ cauſarum liberarum quod agant liberè & cum potentia ad non agendum vel agendum oppoſitum : ergo determinat cauſas neceſſarias ad agendum neceſſariò , liberas verò ad agendum liberè & cum potentia ad agendum oppoſitum , in quo conſiſtit indifferentia actualis. Probatur maior : in hoc enim conſiſtit efficacia & illimitatio ſeu vt ita

dicam vniuersalitas diuini concursus, quod non solùm attingat substantiam actus ad quem datur, sed etiam modum ipsius, nam ex inefficacia & limitatione alicuius virtutis aut influxus oritur quod non attingat omnia quæ sunt in effectu : ergo non solùm faciet causas secundas infallibiliter operari suos effectus, sed etiam vt eo modo operentur quo exigit natura earum.

Hanc rationem paucis complectitur sanctus Doctor 1. p. quæst. 19. a. 8. & 1. 2. quæst. 10. a. 4. dicens diuinam voluntatem vtpote causam vniuersalissimam & efficacissimam, mediante sua motione, non solùm se extendere ad substantiam actus, sed etiam ad modum ipsius, id est ad hoc quod fiat liberè vel necessariò secundum exigentiam causæ. Ex quibus.

Ad obiectionem respondeo negando antecedens: ad probationem distinguo maiorem: De ratione libertatis est indifferentia merè potentialis, nego: actualis sensu explicato, concedo : quamuis autem præmotio priorem illam indifferentiam tollat inclinando voluntatem ad vnum (per modum tamen liberi) non tamen aufert posteriorem, sed potius causat efficiendo quod voluntas operetur vnum cum potentia ad oppositum.

Dices : determinatio ad vnum tollit indifferentiam ad vtrumlibet : sed physica prædeterminatio recepta in voluntate determinat illam ad vnum, putà ad actum amoris : ergo tollit indifferentiam quam habebat ad vtrùmlibet, ad amandum scilicet vel non amandum seu odio habendum.

Respondeo ex iam dictis aliam esse determinationem per modum naturæ, quæ scilicet impellit & necessitat ad vnum sine potentia ad oppositum; aliam per modum liberi, quæ nimirùm efficaciter quidem sed suauiter inclinat ad vnum cum potentia faciendi oppositum. Quo posito distinguo maiorem; Determinatio per modum liberi, tollit indifferentiam (supple actualem, de qua sola est quæstio quæ

consistit in hoc quod est facere vnum cum potentia ad oppositum si velit) nego: determinatio per modum naturæ, concedo: prædeterminatio autem recepta in voluntate determinat illam per modum liberi, sicut natura voluntatis liberæ exigit, non autem per modum naturæ seu agentis necessarij.

Instabis: De ratione causæ liberæ est quod seipsam determinet ex vi propriæ electionis: ergo non debet determinari à prima.

Respondeo de ratione causæ liberæ esse quod seipsam determinet dependenter à determinatione primæ, hæc verò independenter ab alia quauis, vnde neganda est consequentia, vel distinguenda: Non debet determinari per modum naturæ seu agentis necessarij, concedo: per modum liberi, nego

Obiicies secundò: causa libera est illa quæ positis omnibus ad agendum requisitis potest non operari, aut operari oppositum: atqui voluntas posita præmotione non potest facere oppositum: ergo positâ præmotione non manet libera. Probatur minor: Voluntas nostra non potest resistere præmotioni, sicut nec diuinæ voluntati: atqui si posset voluntas præmota dissentire seu non operari, posset resistere præmotioni: ergo

Respondeo 1. Ex dictis negando absolutè minorem: ad probationem nego pariter minorem, quia tantum abest quod posse dissenrire sit posse resistere præmotioni quin potius hoc est omnino conforme naturæ promotionis quæ non solùm facit vt voluntas consentiat sed etiam vt liberè & cum potentia ad dissentiendum consentiat infallibiliter. Claritatis tamen gratiâ.

Respondeo 2. Distinguendo maiorem; Causa libera est illa quæ positis, &c. potest non operari in sensu composito, nego: in sensu diuiso, concedo: Atqui voluntas positâ præmotione non potest non operari, aut non potest facere oppositum, in sensu composito, concedo: in sensu diuiso, nego: ad probationem concessa maiore intellecta in sensu com-

posito, distinguo minorem : si voluntas præmota posset dissentire in sensu composito, posset resistere præmotioni & Diuinæ voluntati concedo ; si posset in sensu diuiso tantùm, nego : similiter ad consequentiam : Ergo nequit dissentire, in sensu composito, concedo : in sensu diuiso, nego.

Sensus huius distinctionis non est, quod existente præmotione in voluntate, aut ea cum voluntate composita, voluntas non possit non operari id ad quod præmouetur, illâ verâ ablatâ & veluti à voluntate diuisâ possit, vt aiebat Caluinus, sed quod stante etiam in voluntate prædeterminatione ad consensum v. g. voluntas ex eo modo operandi causæ liberè proprio, cui vt suprà ostendimus præmotio attemperatur, habeat potentiam ad dissensum non quidem coniungendum cum ipsa prædeterminatione ad consensum (aliàs cùm præmotio efficax inferat huiusmodi consensum in eodem instanti reali in quo ipsa ponitur, & præcedat tantùm prioritate causalitatis & instantis naturæ à quo, posset coniungi dissensus cúm consensu, quod manifestè implicat) sed ad ponendum dissensum absolutè & secundum se spectatum, & hoc est habere potentiam ad oppositum in sensu diuiso, quod sufficit ad libertatem, non verò in sensu composito quod non est necesse, imò impossibile, voluntas enim aut liberum arbitrium quamuis habeat simultatem potentiæ ad actus oppositos, putà ad consensum vel dissensum : non tamen habet potentiam simultatis, id est habendi simul huiusmodi actus, vt constat ; quod tamen esset, si cum præmotione efficaci ad consensum poneretur simul dissensus. De illa verò solutione aut distinctione sensus compositi & diuisi vide doctrinam radicitùs traditam in parua Logica vbi de modalibus.

Dices : Non saluatur libertas si præmotus non possit dissentire in sensu composito, idest coniungere dissensum cum prædeterminatione ad consensum : ergo nulla solutio. Probatur antecedens : vt saluetur libertas, necesse est quod cum omni prærequisito ad

agendum poſſit ſtare non actio : ergo ſi cum prædeterminatione, quæ iuxtà nos eſt concurſus prærequiſitus ad agendum, non poteſt ſtare non actio vel diſſenſus, non ſaluabitur libertas.

Reſpondeo negando antecedens : ad probationem, diſtinguo antecedens : cum omni prærequiſito prioritate à quo ſolùm antecedente & ipſam inuoluente actionem liberam ad quam prærequiritur, nego : alias enim poſſet ſtare non actio cum actione, quod implicat. Cum omni prærequiſito prioritate temporis, aut inſtantis naturæ in quo, & non inuoluente ipſam actionem, concedo : prædeterminatio autem inuoluit actionem ipſam liberam ad quam datur, cùm eam in eodem inſtanti reali liberè inferat.

Inſtabis : Prædeterminatio non ineſt illi liberè, cum voluntas in eius receptione ſe habeat merè paſſiuè : ergo non infert liberè ſed neceſſariò actionem.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens : non ineſt nobis liberè (id eſt dependenter ab exercitio noſtræ libertatis) quantum ad ſuam entitatem, concedo : quantum ad ſuam cauſalitatem & exercitium nego : vnde & nego conſequentiam, cùm enim ſit concurſus Dei, attingit nedum ſubſtantiam actus, ſed etiam modum libertatis illius, id eſt facit vt liberè eliciatur.

Vrgebis : Poſita præmotione in voluntate voluntas neceſſariò operatur : ergo non ineſt nobis liberè etiam quoad exercitium ſuæ cauſalitatis.

Reſpondeo negando antecedens : licet enim infallibiliter operetur, non tamen neceſſariò ſed liberè & cum potentia ad oppoſitum.

Dices 2. Præmotus non poteſt diſſentire etiam in ſenſu diuiſo, ſeu non habet potentiam ad diſſenſum ergo noſtra ſolutio vndequaque eſt nulla. Probatur antecedens ſi præmotus ad conſenſum poſſet diſſentire in ſenſu diuiſo, id eſt retineret potentiam ad diſſenſum, huiuſmodi diſſenſus eſſet ipſi poſſibilis : atqui non eſt ipſi poſſibilis diſſenſus : ergo. Proba-

tur minor. Possibili posito in actu nullum sequitur impossibile aut inconueniens: sed si stante præmotione ad consensum poneretur dissensus, sequeretur aliquod impossibile, nempe quod præmotio redderetur inefficax: ergo præmotione ad consensum stante non est possibilis dissensus.

Respondeo negando antecedens: ad probationem nego minorem: ad cuius item probationem distinguo maiorem: Possibili posito in actu nullum sequitur impossibile, per se loquendo & absolutè nullaque facta suppositione, concedo: per accidens & facta suppositione aliqua, nego: sensus est quod ex positione possibilis in actu absolutè loquendo nihil absurdi aut impossibilis sequitur: potest tamen sequi absurdum & impossibile, facta aliqua suppositione; nam quando quis amat Deum liberè, retinet potentiam ad non amandum, & per consequens est possibilis carentia amoris, quæ tamen si poneretur actu in eodem instanti facta suppositione quod sit amor, sequeretur magnum inconueniens & impossibile, quod scilicet simul esset amor & eius carentia, sic ergo in proposito quia diuina præmotio est efficax & infallibiliter infert in eodem instanti reali consensum, maximum inconueniens & impossibile sequeretur si ea in voluntate posita voluntas non operaretur, sequeretur enim præmotionem efficacem (quæ dicitur talis ex eo quod habeat suum effectum) non sortiri huiusmodi effectum, & operationem voluntatis esse & non esse; esse quidem, quia infallibiliter coniungitur præmotioni, non esse verò ex suppositione quod voluntas præmota non operaretur: non sequitur tamen quod posita præmotione non sit in voluntate potentia ad non operandum, siue ad agendum oppositum, quia præmotio facit vt operetur voluntas cum indifferentia: illud ergo inconueniens in argumento adductum non sequeretur absolutè & spectato ipso dissensu secundùm se, sed solùm per accidens ex suppositione præmotionis efficacis subindéque ipsius consensus liberè eliciti.

Inſtabis : præmotum ad conſenſum poſſe diſſentire, eſt poſſe reſiſtere præmotioni & reddere illam inefficacem : ſed non poteſt reddere inefficacem : ergo nec poteſt diſſentire. Probatur maior : Si præmotus actu diſſentiret, redderet de facto præmotionem inefficacem : ergo poſſe diſſentire eſt poſſe reddere inefficacem præmotionem. Probatur conſequentia : quod facit actus actualiter, id facit potentia poſſibiliter : atqui actualis diſſenſus redderet præmotionem inefficacem : ergo potentia diſſentiendi eſt potentia reddendi præmotionem inefficacem.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem : præmotum ad conſenſum poſſe diſſentire in ſenſu compoſito, concedo : in ſenſu diuiſo nego, nego ſimiliter conſequentiam : ergo non poteſt diſſentire, in ſenſu compoſito, concedo : in ſenſu diuiſo, nego. Ad probationem concedo antecedens, quia facit determinatè ſenſum compoſitum, aut diſtinguo ſicut prius : ad cuius probationem conceſſa maiore diſtinguenda eſt minor, & concedenda de actuali diſſenſu in ſenſu compoſito, neganda de eodem abſolutè & diuiſim à præmotione ſumpto : & ſimiliter diſtinguenda eſt conſequentia : potentia diſſentiendi in ſenſu compoſito eſt, &c. concedo : ſed talis non datur in voluntate : potentia diſſentiendi in ſenſu diuiſo, nego.

Vrgebis : voluntas poteſt elicere diſſenſum in eo inſtanti quo præmouetur ad conſenſum : ergo poteſt diſſentire in ſenſu compoſito.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens. In eodem inſtanti formaliter prout in eo eſt præmotio, & ſubindè conſenſus, nego. In eodem inſtanti materialiter & abſolutè conſiderato, concedo.

Et nota huiuſmodi argumenta eamdem habere vim contra aduerſarios, eodemque modo debere ab ab ipſis ſolui : quod enim ipſi nobis obiiciunt, poſſe ſcilicet aut non poſſe poni actum oppoſitum cùm præmotione : id in eos retorquemus arguendo de actu, oppoſito illi quem actualiter elicit voluntas : vnde ſicut ipſi tenentur fateri voluntatem quando con-

sentit habere potentiam ad dissensum, non in sensu composito, quasi possit dissensum coniungere & in eodem instanti formaliter ponere cum consensu, sed solum in sensu diuiso, ita nos dicimus de dissensu respectu præmotionis ad consensum quem importat & inuoluit.

Quæres, vtrum Deus præmoueat ad peccatum.

Respondeo easdem rationes, quæ ostendunt Deum præmouere causas secundas ad singulas actiones, probare etiam quod præmoueat voluntatem ad materiale peccati seu ad substratum malitiæ, quod est verus actus physicus & realis, non autem ad ipsum formale, seu ad malitiam quæ est deffectus potius quàm effectus.

Dices: qui præmouet ad actum physicum cui intrinsecè & inseparabiliter est annexa malitia, præmouet saltem ex consequenti ad malitiam: atqui actui odij Dei v. g. intrinsecè & inseparabiliter est annexa malitia: ergo si Deus præmoueat ad illum actum vt est physicus, præmouebit etiam ex consequenti ad malitiam, & sic erit auctor peccati, quod est blasphemum

Respondeo distinguendo maiorem: qui præmouet ad actum physicum formaliter, sub ea ratione qua est ipsi annexa malitia, concedo, materialiter & sub alia ratione, sub qua non est ipsi annexa, nego: Deus autem, quamuis præmoueat ad actum cui est intrinsecè annexa malitia, non tamen præmouet ad illum sub illa ratione aut formaliter, sed sub alia; præmouet enim ad ipsum, in quantum est à voluntate creata vt efficiente, sub qua ratione est effectus habens realem & positiuam entitatem & bonitatem physicam, subindéque à Deo dependens: non in quantum est ab eadem voluntate vt deficiente, sub qua consideratione non est effectus nec quid bonum vt à Deo dependere debeat, sed potiùs malum & defectus respectu cuius ipsa voluntas creata deficiens est veluti primum principium, à se enim habet creatura quod possit deficere in quantum est

ex nihilo, à solo autem Deo quòd efficere possit & quod actu efficiat aut agat. In quo autem sita sit malitia, in positiuo scilicet an in priuatiuo, quod ad præsentem difficultatem nòn parùm facit, videri poterit in Ethica.




SECTIO V.

De causa efficiente instrumentali.

CAusam instrumentalem pertinere ad genus efficientium ex eo constat quod instrumentum dicitur id quo causa principalis vtitur ad suum effectum producendum, seu, quod virtute causæ principalis eleuatur ad attingendum effectum nobiliorem se, solique principali agenti proportionatum.

Triplex autem est instrumentum: vnum naturale, illud scilicet quo mediante agens naturale producit suum effectum, quale est semen: aliud supernaturale, qualia sunt sacramenta, quæ à Deo assumuntur ad producendos instrumentaliter effectus supernaturales, gratiam scilicet & characterem: & tertium artificiale, quo artifex perficit suum opus. Circa hæc omnia sit.



§. I.

An omne instrumentum debeat recipere virtutem aliquam à principali agente.

NEgant Suares & plures alij asserentes instrumenta eleuari ad producendum effectum agentis principalis per solam coniunctionem aut subordinationem ad ipsum principale agens, aut per concursum simultaneum qui est actio instrumenti prout à causa principali simul procedit. Nihilominus.

Dico omnem causam instrumentalem debere recipere virtutem aliquam aut motionem virtuosam à principali agente quâ eleuetur ad attingendum ipsius effectum, & non sufficere subordinationem illam aut simultaneum concursum causæ principalis. Ita Thomistæ.

Probatur: instrumentum est id quod à causa superiori seu principali assumitur & eleuatur ad producendum effectum se nobiliorem: atqui ad hoc necesse est quod recipiat ab ipsa principali causa influxum aliquem & virtutem: ergo, &c. Probatur minor: causa de se impotens ad attingendum aliquem effectum debet necessariò recipere aliquid quo fiat potens vt ipsum attingat, si enim nihil intrinsecum recipiat, manebit intrinsecè impotens sicut anteà, atque adeò nihil influet in effectum: atqui causa instrumentalis de se est impotens ad attingendum effectum illum nobiliorem se, aliâs si ex propriis esset potens, produceret ipsum vt causa principalis: ergo vt ipsum attingat debet recipere, &c.

Dices causam instrumentalem constitui & fieri potentem ad attingendum effectum principalis agentis & nobiliorem se, per solam subordinationem ad ipsum principale agens, & beneficio solius concur-

ſus ſimultanei ipſius.

Sed contra : quia huiuſmodi ſubordinatio aut concurſus , vel aliquam virtutem aut virtuoſum influxum ponunt intrinſecè in inſtrumento , vel non : ſi hoc ſecundum ergo ſicut inſtrumentum de ſe eſt intrinſecè impotens , ita & cum huiuſmodi ſubordinatione aut concurſu : primum autem non admittunt aduerſarij , & ſi admitterent , haberemus intentum , videlicet agens inſtrumentale eleuari per aliquam virtutem receptam à principali agente.

Et hæc noſtra ratio maximè vrget quoad inſtrumenta Dei ad effectus ſupernaturales , in quibus inſtrumentis nulla eſt virtus quæ poſſit proximè cum Deo concurrere ad huiuſmodi effectus , atque adeò neceſſe eſt vt eam de nouo recipiant , Nec dicas cum Suare eſſe in omnibus rebus potentiam obedientialem & proximè actiuam ad cooperandum Deo in ordine ad effectus ſupernaturales & ad quodcumque ipſi libuerit. Hoc enim eſt omnino falſum : nam virtus proximè actiua eſt eiuſdem ordinis cum ſuo effectu , cum ab eo ſpecificetur : ergo ſi effectus eſt ſupernaturalis virtus quoque proximè effectiua illius debet eſſe ſupernaturalis : implicat autem rebus naturalibus innatam eſſe virtutem ſupernaturalem , cum ſupernaturale dicatur id quod excedit totam naturam eſtque illi indebitum : ergo.

Obiicies 1. Vel inſtrumentum cum virtute illa recepta eſt omnino proportionatum effectui , vel adhuc improportionatum & inferius illo : ſi primum , iam erit cauſa principalis cuius proprium eſt attingere effectum per virtutem proportionatam & adæquantem perfectionem illius , ſiue illam habeat ab alio , ſiue ex propriis : ſi ſecundum ergo indigebit vlteriori eleuatione & virtute vt fiat proportionatum.

Reſpondeo , quòd cum virtus cauſæ principalis communicet effectui totam perfectionem ſuam , inſtrumentalis verò ſit tantùm via ſeu fluxus quo mediante fit talis communicatio , inde eſt quod virtus

principalis debet esse proportionata, id est æqualis vel maioris perfectionis cum effectu; instrumentalis verò improportionata seu imperfectior illo, sicut via & motus: vnde in forma respondeo instrumentum essentialiter hoc habere quod sit improportionatum, id est imperfectius effectu, quia constituitur in ratione instrumenti per virtutem vialem, fluentem, & incompletam, cùm tamen effectus sit permanens completus: nec tamen sequitur quod indigeat vlteriori virtute, quia per hanc sufficienter constituitur potens & in actu primo intra limites causæ instrumentalis & improportionatæ.

Dices: Calor ex sola subordinatione ad ignem tanquam ad agens principale, absque aliquo nouo influxu aut virtute aliqua superaddita, attingit instrumentaliter productionem alterius ignis: ergo possunt instrumenta ex sola subordinatione ad agens principale attingere effectum illius.

Respondeo negando consequentiam & paritatem: quia calor eo ipso quod est proprietas ignis habet rationem virtutis instrumentalis illius sufficienter ex natura sua eleuatæ ad productionem alterius ignis, & idem dic de aliis accidentibus: at verò instrumenta substantialia & propriè dicta non sunt ex se eleuata ad attingendum effectum agentis principalis, & ideò debent recipere ab ipso virtutem & motionem quâ eleuentur & possint attingere illum effectum. Huiusmodi autem virtus dicitur fluens & vialis, quia transit cum actione, quamuis interdum diù permaneat, vt patet de virtute impressa semini à generante, quæ in eo manet donec produxerit suum effectum.

Obiicies 2. Instrumenta diuinæ virtutis, cuiusmodi sunt sacramenta in ordine ad productionem gratiæ, non recipiunt virtutem aut motionem aliquam ad effectus supernaturales attingendos: ergo nec instrumenta naturalia aut artificialia, atque adeò nulla. Consequentia est euidens quia ista maiorem ex se habent proportionem cum suis effectibus, quippe quæ sunt eiusdem ordinis naturalis, quàm illa quæ

assumuntur ad effectus ordinis superioris: atque adeò minus indigent virtute superaddita. Antecedens verò probatur: quia vel illa virtus aut motio recepta in sacramentis esset corporea vel spiritualis: non corporea: quia non posset attingere effectus spirituales, qualis est gratia: nec etiam spiritualis quia accidens spirituale nequit recipi in subiecto corporeo, quale est sacramentum: ergo, &c.

Respondeo negando antecedens: ad probationem respondeo virtutem illam in sacramentis receptam esse spiritualem: quamuis autem accidens spirituale ex sua natura permanens non possit recipi in subiecto corporeo, benè tamen accidens spirituale ex natura sua transiens, viale, & incompletum, qualis est prædicta virtus quæ transit cum ipsa operatione ad quam datur.

Dices: accidens debet proportionari subiecto: ergo si subiectum sit corporeum, debet accidens etiam esse corporeum, subindéque accidens spirituale nequit recipi in subiecto corporeo. Confirmatur: Quod recipitur, ad modum recipientis recipitur: ergo si subiectum recipiens sit corporeum, etiam accidens receptum.

Respondeo formam aut accidens quod per modum permanentis recipitur, debere proportionari subiecto & ad modum eius recipi, quia est propria eius perfectio; non sic autem de forma viali, & transeunte quæ per se primò ordinatur ad operationem aut effectum, quibus proindè debet potiùs proportionari quam subiecto.

§. 2.

An omne instrumentum debeat habere actionem propriam & præuiam.

NEgant pariter Suares & recentiores alij. Contra quos.

Dico omne instrumentum debere habere ex propriis aliquam virtutem & actionem quodammodò præuiam & dispositiuè se habentem ad actionem instrumentariam quam elicit virtute agentis principalis. Ita omnes Thomistæ, qui tamen illud statuunt discrimen inter instrumenta Diuinæ virtutis & instrumenta agentium creatorum, quod hæc debent agere aliquam actionem propriam accommodatam effectui à principali causa intento: non enim liberum est scribæ vti calamo vel malleo ad scribendum, sed necessariò vti debet calamo, quia habet actionem propriam proportionatam illi effectui, puta virtutem delineandi & exarandi characteres: instrumenta autem Dei non debent necessariò habere actionem præuiam accommodatam effectui ad quem assumuntur, sed sufficit quod habeant qualemcumque: & ratio disparitatis est, quia agens creatum est finitæ & limitatæ virtutis, ideò indiget instrumentis accommodatis effectui, minimè verò Deus ob rationem oppositam: quamuis ex suppositione quod velit vti aliquo tanquàm instrumento ad producendum suum effectum, debeat illud ex propriis habere aliquam actionem, alias esset tantùm medium deferens actionem diuinam & non cooperans ipsi, quod est de ratione instrumenti. Vnde.

Probatur conclusio: Instrumentum est id quod à superiori seu principali agente eleuatur ad attingen-

dum effectum nobiliorem se : solique principali agenti proportionatum : atqui ad huiusmodi eleuationem prærequiritur necessariò quòd habeat virtutem aliquam & actionem propriam : ergo. Probatur minor : Præsupponitur habere virtutem & actionem propriam, si præsupponatur esse in genere agentium absolutè : atqui : ergo. Maior est euidens : agens enim per actionem aut virtutem agendi constituitur. Minor verò probatur : Præsupponitur in ratione agentis absolutè, si per eleuationem illam aut virtutem eleuantem non constituatur in ratione agentis absolutè, sed talis : atqui sic est : per virtutem enim illam constituitur tantùm agens quod potest attingere effectum altiorem quem propria vi non potest attingere. Deinde, si non præsupponeretur esse agens absolutè, & habere aliquam virtutem & actionem propriam antecedenter ad virtutem eleuantem, huiusmodi virtus eleuans communicaretur ipsi non vt principio efficienti, sed vt subiecto tantùm & medio purè deferenti, nihilque agenti principali cooperaretur; sed ipsum solùm principale agens attingeret effectum suum transmittendo per instrumentum suam virtutem & actionem tanquam per aliquid merè passiuè se habens & per modum causæ duntaxat materialis concurrens.

Ne igitur instrumentum se habeat tantùm vt medium deferens vim & actionem causæ principalis ad effectum eo modo quo aër defert influentias cœli ad hæc inferiora, & species sensibiles ad sensus externos; debet habere ex propriis aliquam actionem præuiam & dispositiuam ad actionem instrumentariam virtute principalis agentis eliciendam, vt ita causæ principali cooperetur. Vnde instrumentum habere actionem propriam dispositiuè se habentem ad &c. idem est ac habere actionem qua reddatur aptum vt eleuari possit ab agente principali.

Obiicies primò : Si instrumentum haberet aliquam actionem præuiam ad actionem principalis agentis, aut esset realiter eadem cum illa, aut reali-

ter distincta : neutrum : ergo. Probatur minor : & primo quod actio illa præuia non sit eadem cum actione instrumentaria quam elicit instrumentum virtute agentis principalis , videtur manifestum, vna enim & eadem actio non potest esse præuia ad seipsam: secundo quod non sit diuersa, probatur : quia omnis actio instrumenti procedit à motione principalis agentis, ergo nullam elicit actionem diuersam ab ea quam producit virtute illius, quæ est actio in- instrumentaria.

Respondeo actionem præuiam interdum identificari realiter & entitatiuè cum actione instrumentaria, solúmque virtualiter , aut ad summum modaliter ab ea distingui , vt patet in scissione quæ vt sic considerata est propria actio securis, quam vi suæ figuræ præacutæ elicere potest, suprà quam scissio vt artificiosa, quæ est actio instrumentaria virtute principalis agentis elicita , addit duntaxat formalitatem seu modum artificiosæ : interdum verò realiter distingui, vt patet in ablutione externa , quæ est actio propria baptismi, distinguitur sine dubio ab ablutione interna, seu productione gratiæ in anima quæ est actio instrumentaria. Ad impugnationem primæ partis respondeo, vnam & eandem actionem secundùm vnam rationem spectatam posse esse præuiam ad seipsam secundùm aliam rationem consideratam, & sic scissio vt talis est præuia quodammodo ad seipsam vt artificiosam. Ad impugnationem secundæ, distinguo antecedens : Omnis actio instrumenti procedit à motione principalis agentis : vt ab applicante, esto : vt conferente virtutem ad illam eliciendam, nego:actio enim præuia instrumenti dependet à motione principalis agentis vt ab applicante virtutem eius actiuam , instrumentaria autem etiam vt à conferente virtutem eliciendi illam : vnde negatur consequentia.

Obiicies 2. Instrumenta Diuinæ virtutis aut sacramenta non habent de necessitate actionem propriam & præuiam : ergo id non est de ratione in-

ſtrumenti vt ſic. Probatur antecedens : Non habent neceſſariò actionem præuiam, ſi Deus non indigeat illâ ad attingendum ſuum effectum : atqui Deus non indigeat actione propria inſtrumentorum, imò potius ex ſua mera libertate eleuat illa ad conſortium ſuæ propriæ actionis præſtando eis virtutem ad illam, & ideò indifferenter vti poteſt qualibet re.

Reſpondeo negando antecedens : ad probationem nego maiorem, neceſſitas enim actionis præuiæ in inſtrumento non petitur ex indigentia agentis principalis per ſe & abſolutè loquendo, ſed ex propria & eſſentiali ratione inſtrumenti, quæ ſine huiuſmodi præuia actione ſaluari nequit, etenim ſine ea eſſet tantùm mediùm delatiuum & cauſa merè materialiter concurrens.

Inſtabis : Actio præuia deſideratur vt per eam inſtrumentum producat aliquid præuium & diſpoſitiuum ad effectum principalis agentis in ſubiecto in quo per actionem inſtrumentariam effectum huiuſmodi producit, atque adeò neceſſe eſt quod inſtrumentum ſua actione propria attingat & contingat illud ſubiectum : atqui ſacramenta non poſſunt per ſuam actionem propriam producere aliquid præuium in ſubiecto effectus principalis agentis, nempe Dei, cùm actio illorum propria nequeat eſſe niſi corporea, quæ proinde non poteſt contingere ſubiectum ſpirituale, qualis eſt anima in quâ recipitur gratia quam virtute principalis agentis producunt: ergo nullam habent actionem præuiam diſpoſitiuè ſe habentem ad actionem inſtrumentariam


Reſpondeo negando maiorem abſolutè, de ratione enim inſtrumenti vt ſic eſt tantùm quòd habet actionem propriam ad actionem principalis agentis diſpoſitiuè ſe habentem, id eſt qua reddatur idoneum & aptum ad cooperandum cauſæ principali eiuſque effectum per virtutem ab ea acceptam attingendum, quod habent inſtrumenta etiam Diuinæ virtutis : quamuis inſtrumenta agentium creatorum aliqnid etiam præuium & diſpoſitiuum ſenſu in

maiori illa explicato producant: præuium, inquam, saltem virtualiter & secundum vnam rationem, conformiter ad superiùs dicta in responsione ad primam obiectionem. Ratio autem cur huiusmodi instrumenta agentium naturalium debeant aliquid per propriam actionem in subiecto producere, in quo recipitur effectus principalis agentis, subindéque subiectum illud contingere contactu corporeo & quantitatiuo, secus verò instrumenta Diuinæ virtutis, est quia virtus agentis principalis creati non est secundùm se immediatè præsens passo, & ideò debet illi coniungi mediante contactu corporeo instrumenti: at verò Diuina virtus est omnibus intimè præsens, vnde non est necesse quod eius instrumenta sint præsentia subiectis in quibus producit effectus suos, quodque illa contingant corporaliter & quantitatiuè, sed sufficit quod eliciendo propriam actionem circa subiectum quodcumque, putà corpus, attingant vnà cum Deo principaliter agente productionem effectus in alio subiecto, puta in anima, aut quouis alio etiam distanti cui virtus diuina est semper præsens.

Ex dictis ergo habes quodlibet instrumentum verum & physicum debere habere aliquam actionem propriam, siue transeuntem siue immanentem. Et si quæras quænam assignari possit actio præuia in humanitate Christi Domini, quæ est instrumentum coniunctum Diuinitatis ad producendam gratiam & efficienda miracula: Respondeo esse actus tam internos intellectus & voluntatis ipsius humanitatis Christi, quam internos sensuum, sicut quando in terris adhuc degens suo tactu sanabat & aspectu conuertebat homines. In aqua autem quæ ad baptizandum & regenerationis gratiam in anima producendam assumitur, actio præuia est ipsa ablutio: in confirmatione chrismatio: & sic proportionaliter in aliis Sacramentis. Item in reliquiis quæ interdū instrumentaliter physicè producunt effectus miraculosos, actio præuia est ipse physicus contactus, aut alia quæuis

actio (puta frigefactio) quam per suas qualitates eliciunt dum illud contingunt subiectum cuius contactu prædictos effectus producunt. Quod si solo earum intuitu absque vllo contactu aut actione ab eis elicita Deus efficiat miraculum, tunc non censentur ad illud concurrere nisi vt instrumentum morale.

Habes 2. Instrumentum habere rationem causæ principalis respectu suæ actionis propriæ, cùm eam propria sua virtute eliciat quamuis dependenter à motione principalis agentis vt applicante.



SECTIO VI.

De fortuna, casu & fato.

VBi de causis efficientibus per se egimus, aliquid subiungendum est de efficientibus per accidens, scilicet de fortuna & casu, & ex consequenti de fato quod eis opponitur.

Fortuna autem & casus, philosophice loquendo, definiri possunt causæ fortuitæ aliquorum effectuum; & in hoc solùm differunt quod fortuna est causa fortuita agens ex consilio & electione, casus verò ex naturali inclinatione, vtraque verò est causa per accidens. Vnde alio modo, sed tamen coincidenti possumus definire fortunam & casum, nempe quod fortuna sit causa per accidens operans ex electione cuius effectui per se intento coniungitur alius præter intentionem, qua ratione fodiens terram dici potest (philosophicè loquendo) fortuna seu causa fortuita & per accidens inuentionis thesauri: casus verò sit causa per accidens ex naturali inclinatione operans cuius effectui per se intento coniungitur alter per accidens, qua ratione lapis aut tegula è tecto decidens & occidens hominem dici potest casus seu casualis

& fortuita causa occisionis illius. Dixi, philosophicè loquendo, quia vulgò fortuna & casus non sumuntur pro ipsis causis, sed potius pro effectibus fortuitis & casualibus. Ex quibus infero, &

Dico, admittendam esse fortunam & casum. Patet: quia dantur multi effectus fortuiti & casuales, sicut sunt inuentio thesauri, occisio præter intentionem fodientis aut lapidis decidentis, & similes: ergo dantur causæ huiusmodi effectuum per accidens quæ nomine fortunæ & casus; seu agentis fortuiti aut casualis intelliguntur. Quando autem sancti Patres aiunt Christianos non debere vti nomine Fortunæ, intelligunt eo sensu quo superstitiose accipiebatur ab Ethnicis pro quodam numine absque consilio & prouidentia operante.


Dico 2. rationem causæ fortuitæ non competere Deo, seu quod idem est nullos effectus esse fortuitos aut casuales respectu illius. Patet: quia quantumuis accidant præter aut contra intentionem causarum secundarum, atque adeò sint fortuiti respectu illarum, sunt tamen per se intenti, præordinati, aut præuisi à Deo, atque adeo non sunt fortuiti respectu illius.

Dico 3. rationem fortunæ seu causæ fortuitæ, habere locum in Angelis, & etiam in cœlis: quia multi effectus contingunt qui sunt fortuiti & casuales respectu illorum, nam bonò Angelo, v. g. pias cogitationes suggerenti fortuitus est paruus illarum vsus si contingat ex parte nostri, sicut & dæmoni bonus vsus tentationum: Similiter non raró accidit quod cæli suis influentiis mediantibus intendant aliquem effectum; & nihilominus adsit aliqua dispositio contraria ex cuius coniunctione cum influxu cœli ponatur alius effectus non intentus ab illo, subindéque fortuitus respectu eius.

Quantum verò ad fatum, duo fuere oppositi errores: aliqui enim existimarunt fatum esse quamdam causam necessariam, seu potius necessariam dispositionem causarum, ex qua omnia necessario & ineui-

tabiliter euenirent: alij verò, cùm cernerent per dispositionem illam destrui libertatem, fatum omninò & Diuinam prouidentiam negauerunt, de quorum numero fuit Cicero, qui vt homines faceret liberos, inquit D. Augustinus, fecit sacrilegos negando prouidentiam.

Catholici vero relictis illis erroribus piè docent fatum nihil aliud esse quàm præordinationem caussarum secundarum ad certòs & determinatos effectus ab æterna Dei prouidentia factam. Et hoc sensu sumendo fatum pro illa præordinatione & dispositione Diuinæ prouidentiæ, admittendùm est omnia subdi fato, sicut subduntur prouidentiæ, nec propterea tollitur libertas, quia Diuina prouidentia non solùm præordinat causas secundas liberas ad suas actiones & effectus quoad substantiam, sed etiam quoad modum, sicut supra dicebamus de prædeterminatione physica quæ est æternæ Dei prouidentiæ executio. Quando autem Sancti Patres, aut Catholici Doctores fati nomen reiiciunt, sumunt illud iuxta sensum primi erroris.




DISPVTATIO IX.

De causa finali.

QVAMVIS ordo intentionis sit simpliciter prior ordine executionis, subindéque causa finalis, quæ cæteras ordine intentionis antecedit, sit absolutè omnium prima: quia tamen eius notitia non parum

pendet ab explicatione aliarum, ideò sicut ordine executionis est postrema, ita ordine Doctrinæ vltimum locum sibi vendicat.



SECTIO I.

Quid & quotuplex sit finis.

DIco 1. Finis rectè definitur id cuius gratiâ aliquid fit, seu, cuius gratiâ agens operatur: cùm enim de ratione finis duo sint, primum quod appetatur propter se, secundum quod alia propter ipsum appetantur & fiant, vtrumque in præfata definitione satis aperte declaratur: sensus enim illius est finem esse eam rem, cuius assequendæ gratia seu appetitu, alia executioni mandantur. Vnde cùm naturalis compositi attingendi gratia agens operetur, vniatque materiam cum forma: & ægrotus v. g. propter sanitatem recuperandam multa assumat media & remedia; compositum naturale, sanitas, & id genus alia habent rationem finis.

Dico 2. finem esse veram causam realem & physicam.

Probatur: illa est vera & realis causa à qua verè & realiter dependet effectus: atqui effectus, nisi temerè producatur, verè & realiter dependet à fine; ergo, &c.

Probatur minor: effectus verè & per se dependet ab eo cuius gratia à parte rei producitur: atqui, nisi agens casu & temerè operetur, effectus fit gratia finis: ergo, &c.

Obiicies: de ratione causæ realis est quod sit principium influens esse in aliud: sed finis non est principium, finis enim & principium opponuntur: ergo, &c.

Respondeo minorem eiusque probationem ibi subiunctam esse veram de fine in executione, qui vt talis non est principium sed terminus causalitatis omnium causarum ; falsam verò de fine in intentione, finis enim intentus est qui allicit agens, & illo mediante materiam & formam ad proprias causalitates exercendas, atque adeò ab illo primò & simpliciter incipit motus & ipsiusmet finis in executione productio vel acquisitio, subindéque finis intentus habet rationem principii influentis.

Dices : quod non est à parte rei non potest realiter influere in effectum : sed finis non est semper à parte rei, quando mouet & allicit agens ad operandum, vt constat in infirmo sumente potionem propter sanitatem quam non habet nec fortè vnquam consequetur : ergo finis non influit realiter propriè, vnde etiam dicitur metaphoricè duntaxat mouere.

Respondeo distinguendo maiorem : quod non est à parte rei & in se non potest realiter influere per veram actionem à se elicitam, concedo : Quod non est in se, existit tamen in apprehensione qua apprehenditur vt aliquid bonum, nequit influere mouendo & alliciendo ad sui desiderium & intentionem, nego, & hoc posterius competit fini cuius motio dicitur metaphorica, non quòd non sit verus realis & proprius influxus, sed solùm ad differentiam motionis causæ efficientis quæ sola propriè dicitur motio seu actio.

Instabis inter causam realem & effectum datur relatio realis : sed non potest esse relatio realis inter finem & eius effectum, quia non existit quando causat : ergo non est causa realis.

Respondeo : inter causam influentem per modum obiecti alliciendo & excitando, nego : inter causam influentem per veram actionem aut influxum procedentem ab ea vt existente in seipsa & in executione, concedo. Vel secundò : inter causam influentem vt motam, concedo : immotam & inuariatam, nego : talis autem est causa finalis. Vel tertiò concessâ ma-

iore, nego minorem, finis enim dum mouet & allicit affectum, verè & realiter exiſtit exiſtentiâ ad ſuam cauſalitatem exercendam requiſitâ, nimirum intentionali; in quo differt à cauſa efficienti quæ debet exiſtere in re vt cauſet, finis verò ſolùm in apprehenſione.

Dico 3. finem rectè diuidi in finem *qui* & finem *cui*: ſecundò in finem formalem & obiectiuum, tertiò in finem proximum, intermedium ſiue remotum, & vltimum.

Finis *qui* dicitur res illa quæ intenditur: finis verò *cui* eſt ſubiectum aut perſona cui res illa optatur. Vnde conſtat huiuſmodi diuiſionem finis cuius gratia, in finem *qui* & finem *cui*, non eſſe partitionem illius veluti in duos fines, ſed in duas rationes vnum totalem finem integrantes, id enim cuius gratia operamur non eſt ſola res quæ appetitur, ſed eadem prout cedit in bonum proprium ejus cui appetitur, ſubindéque eſt aggregatum ex fine qui & fine cui.

Finis formalis eſt operatio qua rem intentam poſſidemus: finis verò obiectiuus eſt res illa poſſeſſa: e. g. viſio beata eſt finis formalis, quia per eam beati Deum aſſequuntur: ipſe verò Deus clarè viſus eſt finis obiectiuus qui per viſionem beatam poſſidetur: & hi etiam non ſunt propriè duo fines, ſed vnus integer: neque enim alter ſine altero appetitur.

Finis proximus eſt ille qui immediatè intenditur: intermedius verò aut remotus ille eſt ad quem proximus ordinatur: vltimus denique, ad quem omnia alia referuntur, ipſe verò ad nihil aliud: V. G. deambulatio eſt finis proximus exeuntis domo cauſa deambulandi: remotus verò poteſt eſſe ſanitas, ad quam vtilis eſt deambulatio: vltimus denique erit Deus, ſi ad ipſum & deambulatio & ſanitas referatur. Dicitur vltimus, qui non refertur ad alium vlteriorem, niſi fortè ex nequitia peccatoris qui non rarò Deum ipſum refert, ſaltem interpretatiuè ad creaturam, in quo ſita eſt malitia lethalis peccati

quo peccator à bono incommutabili, qui eſt Deus ad bonum commutabile tanquam ad vltimum finem ſe conuertit.



SECTIO II.

Per quid finis cauſet ſeu finalizet in actu primo.

QVælibet cauſa debet habere aliquid quo conſtituatur in actu primo potens ad cauſandum in ſuo genere: ſic determinauimus ſuprà cauſam materialem conſtitui in actu primo per ſeipſam, ſeu per ſuam propriam potentialitatem, formalem per ſuam actualitatem: efficientem, per ſuam formam & virtutes actiuas. Cùm igitur ſectione præcedenti oſtenſum ſit finem eſſe veram cauſam realem ſupereſt hic reſoluendum quid nam ſit illud per quod conſtituitur in actu primo ad finalizandum ſeu mouendum, inuitandum, alliciendumque appetitum in quo ſita eſt eius cauſalitas.

Aduerte autem appetitum ſumi hic prout abſtrahit ab innato, qui habet locum in rebus cognitionis expertibus; & elicito, qui in cognoſcentibus, item à ſenſitiuo, qui eſt etiam in brutis; & à rationali ſeu intellectuali, qui eſt in naturis intellectualibus: quamuis præcipuè pro hoc vltimo accipiatur, qui dicitur voluntas, reſpectu cuius per ſe primò finalizat aut ſuam cauſalitatem exercet finis: vt ex dicendis conſtabit.

Vt autem ſtatus quæſtionis fiat clarior, ſuppono omnes auctores in hoc conuenire, nimirum rationem illam per quam finis eſt in actu primo capax finalizandi eſſe propriam ipſius appetibilitatem, ſeu, vt

ita dicam, desiderabilitatem qua potest allicere appetitum aut voluntatem ad desiderium sui, aliorumque ad sui assecutionem conducentium: solumque esse dissensionem inter Scotum & Thomistas in hoc quod ille vult appetibilitatem illam, atque adeo & rationem finalizandi esse quid commune bono & malo, ita vt non modo bonum siue verum siue apparens, sed etiam malum sub ratione mali sit ab appetitu desiderabile, possitque habere rationem finis: Thomistæ verò & omnes fere alii asserunt appetibilitatem, quæ est ratio constitutiua finis, conuenire soli bonitati & cum ea coincidere, subindéque nihil posse finalizare nisi bonum verum aut apparens, quibus assentiendo.

Dico 1. ratio constitutiua finis in ratione finis aut in actu primo ad finalizandum est sola bonitas.

Probatur: ratio constitutiua finis est ea per quam potest inuitare appetitum ad sui amorem & prosecutionem: sed nullâ prorsus alia ratione potest aliquid inuitare appetitum quam bonitate: ergo sola bonitas, &c. Probatur minor: in tantum aliquid potest appetitum aut voluntatem ad sui amorem allicere inquantum est amabile, aut certè repræsentatur vt tale: sed nihil est aut repræsentatur vt amabile nisi vel ratione alicuius bonitatis quæ de facto est vel existimatur esse in illo: ergo nihil potest allicere appetitum nisi ratione bonitatis. Probatur minor: nihil est amabile nisi ratione conuenientiæ quam habet aut existimatur habere cum natura appetentis & amantis, neque enim ea quæ apprehendimus nociua amore prosequimur sed odio: atqui bonitas nihil aliud est quàm huiusmodi conuenientia rei cum appetitu bonum enim dicitur illud quod est alicui conueniens: ergo nihil est amabile nisi ratione bonitatis. Ex quibus.

Infero primo malum sub ratione mali non posse appeti aut habere rationem finis. Hoc corrollarium, quod est contra Scotum, est euidens ex conclusione, cùm enim sola bonitas sit ratio constitutiua finis, &

repugnet malo qua malum est, consequenter repugnat illi qua tali ratio finis. Confirmatur : nam sicut bonum idem est ac conueniens appetitui ita malum idem est ac disconueniens & noxium : sed implicat nociuum & disconueniens formaliter vt tale appeti : ergo & malum : vnde ortum habet illud, nemo intendens malum operatur, quod tamen falsum esset si malum vt tale posset habere rationem finis, cùm enim vnusquisque operetur intendendo finem, si malum sub ratione mali possit habere rationem finis, possemus operari intendendo malum.

Infero secundò, malum sub ratione seu sub specie boni posse appeti & habere rationem finis. Patet: potentia enim appetitiua, cùm sit cœca, sequitur ductum potentiæ cognoscitiuæ, eoque modo fertur in obiecta quo sibi ab illa proponuntur : atqui potentia cognoscitiua aut intellectiua non rarò repræsentat & proponit voluntati malum, putà peccatum sub specie boni : ergo voluntas fertur in illud malum sub specie & ratione boni, & hoc est ferri in bonum apparens quod ideo dicitur tale quia apparet bonum & verè non est.

Et hoc corollarium dumtaxat conuincunt argumenta Scoti ; quibus probare nititur malum posse habere rationem finis. Si enim damnatus appetat non esse, subindéque malum, non appetit illud nisi, sub ratione liberatiui à pœna, proindéque sub ratione alicuius boni saltem negatiui : & idem dic de eo qui sibi optat vel infert mortem, ille enim vel intendit liberationem à miseriis, vel aliquid aliud quod ipsi apparet maius bonum quàm vita : similiter quando quis desiderat alteri mortem, non desiderat illam primario vt malum illius, sed magis vt cedit in bonum saltem apparens seu existimatum ipsius appetentis.

Dices : Voluntas odit malum, & non bonum : ergo saltem in actibus odij & fugæ voluntas moueatur primario à malo sub ratione mali.

Respondeo distinguendo antecedens. Odit malum, primariò ratione sui, nego : rationi boni cui opponi-

tur, concedo : & nego consequentiam : mouetur enim voluntas per se primò à bono, & ratione illius odit malum & fugit oppositum.

Dices : eadem potentia habet versari circa contraria : ergo sicut intellectus fertur in verum & falsum, ita voluntas in bonum & malum.

Respondeo quòd quando ex duobus contrariis alterum tantùm est obiectum primarium & adæquatum potentiæ, debet ferri in illud primariò & ratione sui, in aliud verò secundariò & ratione alterius inquantum ipsi opponitur; non autem eodem modo & ex æquo in vtrumque : sic autem est in proposito, nam intellectus respicit verum vt obiectum primarium & adæquatum, & voluntas bonum, vnde intellectus fertur primariò & per actum assensus in verum, & per actum dissensus in falsum : similiter voluntas per actum amoris & prosecutionis, qui est primarius, tendit in bonum; per actum verò odij, qui est secundarius, fugit malum oppositum bono.

Dico secundò : Ratio finalizandi, seu constitutiua finis in actu primo ad finalizandum, est bonitas secundùm esse reale, non verò secundùm esse intentionale seu apprehensum. Supponit conclusio necessarium omninò esse quòd finis & bonitas eius apprehendatur ad hoc vt finalizet & ad sui amorem appetitum vel voluntatem alliciat, cùm nihil volitum quin cognitum; & solùm asserit id quod mouet & allicit appetitum esse ipsam bonitatem realem quæ apprehenditur futura aut possibilis acquiri in esse reali, ipsum verò esse apprehensum talis bonitatis vt ita loquar, non esse nisi conditionem sine qua non finalizaret.

Probatur conclusio : Ratio formalis finalizandi est illa quæ mouet ad sui desiderium & prosecutionem : sed bonitas realis secundum esse reale spectata mouet & allicit voluntatem aut appetitum ad sui desiderium & prosecutionem, non autem secundum esse apprehensum illius : ergo bonitas secundum suum esse reale est ratio formalis finalizandi, non verò se-

cundùm esse apprehensum. Probatur minor: Illud solùm mouet & allicit voluntatem ad sui desiderium & prosecutionem, cuius possessionem exoptat voluntas & diuersis mediis inquirit: atqui voluntas non exoptat nec inquirit bonitatem finis in esse apprehenso, sed in esse reali extra intellectum: ergo. Minor est euidens: neque enim ægrotus exoptat sanitatem secundùm esse apprehensum & intentionale, nec propter illam sic spectatam sumit potiones amaras: sic enim iam possidet illam; sed propter sanitatem in re consequendam: ergo

Respondebis hoc argumentum solùm probare rationem formalem quæ finalizat & appetitur à voluntate esse bonitatem secundùm esse reale spectatam, minimè verò conuincere apprehensionem huiusmodi bonitatis non esse saltem rationem sub qua mouet voluntatem.

Sed contra: quia ratio formalis sub qua finis allicit voluntatem est ipsissima bonitas quæ repræsentatur, & non apprehensio illam repræsentans: ergo nulla responsio. Probatur antecedens: Ratio sub qua finis allicit voluntatem est appetibilitas quam intellectus apprehendit in ipso fine: ergo cum appetibilitas & bonitas sint idem, ratio *sub qua* erit bonitas illa quam intellectus apprehendit in fine, non autem ipsa apprehensio intellectus proponentis huiusmodi bonitatem ipsi voluntati, quæ subinde se habet solùm vt conditio sine qua bonitas non finalizaret: sicut approximatio agentis ad passum putà ignis ad stupam, & existentia causæ efficientis non sunt rationes agendi, sed tantùm conditiones sine quibus non.

Non dicas conditiones *sine quibus non*, posse à Deo suppleri, nec posse tamen suppleri cognitionem finis, quia de potentia Dei absoluta fieri nequit vt finis non cognitus moueat & alliciat voluntatem. Nam falsum est omnes conditiones *sine quibus non*, posse à Deo suppleri, vt patet de existentia agentis, quæ licet sit tantùm conditio sine qua non potest

agere, non verò ratio formalis agendi, quæ est ipsa forma agentis, aut virtus actiua ipsius, adeò tamen tamen indispensaliter est requisita, vt à Deo suppleri nequeat, efficiendo scilicet quod id quod nullo modo (id est nec formaliter nec virtualiter) existit, agat nihilominùs aut operetur aliquid; & ratio est quia est conditio intrinseca & essentialis, non verò extrinseca & connaturalis tantùm, sicut approximatio ad passum, quæ ideò diuinitùs suppleri potest. Quia ergo cognitio aut apprehensio se habet ad causam finalem sicut existentia ad efficientem; per illam enim existit finis in intellectu & intentionaliter (qui est proprius modus existendi requisitus ad finalizandum) sicut per hanc existit agens realiter & extra intellectum, quod ad agendum est prorsus necessarium; ideò sicut non potest illa, ita neque hæc diuinitus suppleri, quamuis sit tantùm conditio, non verò ratio finalizandi.

Obiicies: Illa est ratio formalis finalizandi, à qua oritur diuersitas specifica actuum qui sunt circa finem: sed oritur ab apprehensione præcisè: ergo. Maior est euidens. Probatur minor quia si finis aliquis sit in se honestus, apprehendatur tamen vt turpis, actus qui erit circa illum erit turpis & malus è contra si finis inhonestus & turpis existimetur inculpabiliter honestus, actus circa illum erit honestus & bonus: ergo sola apprehensio inducit diuersitatem specificam actuum qui sunt circa finem.

Respondeo huiusmodi diuersitatem oriri & peti tanquam à ratione formali ab ipsa honestate aut turpidine finis, ab apprehensione verò solùm vt à conditione applicante fini huiusmodi formales rationes diuersas & proponente eas voluntati. Vnde in forma distinguo maiorem: à qua oritur tanquam à principio formali, concedo: tanquam applicante, nego: & similiter distinguo minorem Oritur ab apprehensione diuersa tanquam à conditione applicante, concedo: tanquam à ratione formali, nego. Ex quibus patet ad probationem: quando enim finis inhone-

ſtus & turpis apprehenditur vt honeſtus, actus voluntatis circa illum eſt honeſtus, & è conuerſo, non formaliter ratione apprehenſionis, ſed ſolùm præſuppoſitiuè & applicatiuè, quia nimirum per apprehenſionem applicatur & proponitur voluntati ratio diuerſa finis, honeſti ſcilicet & inhoneſti, à qua oritur formaliter diuerſitas ſpecifica actuum. Nec obſtat, quòd in re idem finis poſſit apprehendi vt honeſtus & inhoneſtus, quia licet ſit idem in re & materialiter, tamen apprehenditur ſub diuerſa ratione formali quæ ei per apprehenſionem applicatur.


Inſtabis: eadem bonitas apprehenſa abſolutè in ratione bonitatis, cauſat aut ſpecificat actum amoris; vt abſens & acquiſitu poſſibilis, actum deſiderij; vt præſens, delectationem: ergo ſola diuerſitas apprehenſionis cauſat diuerſitatem actuum.

Reſpondeo conceſſo antecedente, negando conſequentiam: ratio enim formalis diuerſificans huiuſmodi actus eſt bonitas vel ſecundum ſe, vel vt abſens, vel vt præſens. & quamuis ſit eadem bonitas materialiter, eſt tamen diuerſa formaliter in ratione ſpecificatiuæ huiuſmodi actuum: vnde diuerſitas apprehenſionum ſe habet tantùm vt conditio applicans & proponens diuerſas rationes formales: atque adeò tunc ſolùm diuerſæ apprehenſiones inducent diuerſitatem actuum, quando per illas proponentur diuerſæ rationes formales, non verò ſi eædem. Ex quo fit quod charitas viæ & Patriæ eſt eadem ſpecie, quamuis Deus ſummè diligibilis repræſentetur hîc obſcurè, illic verò clarè: eſt eadem, in quam, quia licet apprehenſio ſeu cognitio Dei vt ſummè diligibilis ſit in hoc mundo obſcura, & in cœlo clara, idem tamen eſt obiectum eademque ratio formalis quæ per vtramque repræſentatur.

Obiicies 2. Sæpè ſæpius impoſſibilia & mera figmenta mouent & alliciunt voluntatem ad ſui deſiderium, poſſumus enim deſiderare montes aureos, & ſimilia: atqui illa non mouent per aliquam bonitatem realem, ſeu ſecundùm eſſe reale ſpectatam ergo

per ſolam ſui apprehenſionem, ſeu per bonitatem ſpectatam ſecundùm eſſe intentionale & apprehenſum.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem: impoſſibilia & mera figmenta, vt talia, nego: prout ſubſtant apprehenſioni repræſentanti illa vt poſſibilia ſecundùm eſſe reale, concedo: Atqui non mouent per bonitatem talem ſecundùm eſſe reale ſpectatam, quæ verè ſit in eis, concedo: quæ exiſtimetur ineſſe illis, nego: vnde illud quo mouetur & cuius deſiderio tenetur voluntas, ſemper eſt bonitas ſecundum eſſe reale ſpectata, quæ interdum de facto eſt aut eſſe poteſt in re, & tunc dicitur appetere verum bonum; interdum falſo ipſi per apprehenſionem applicatur, & tunc deſideramus bonum apparens.



SECTIO III.

Quænam ſit cauſalitas finis.

VIdimus in præcedentibus bonitatem ſecundum eſſe reale ſpectatam eſſe rationem ſeu principium quo finis conſtituitur in actu primo ad finalizandum: de cauſalitate qua in actu ſecundo finalizat & in ſuo genere influit in effectum, eſt modo difficultas. Et quidem ſupponunt omnes cauſalitatem finis conſiſtere in quadam impropria & metaphorica motione qua ad ſe trahit & allicit appetitum aut voluntatem, quæ motio dicitur metaphoricà, non quod realis non ſit, cum ſit cauſalitas cauſæ realis, ſed per comparationem ad cauſalitatem agentis quæ ſola propriè dicitur motio, mouere enim propriè loquendo eſt agere. Quo poſito tota controuerſia eſt in quo conſiſtat hæc metaphorica motio qua finis mouet cauſam efficientem, ſcilicet voluntatem (nam agere

propter finem propriè & in rigore loquendo, solum conuenit voluntati, seu agenti voluntario & intellectuali: cætera enim non tam agunt propter ipsum quam agantur & moueantur in eum, vt infrà patebit.

Prima sententia asserit motionem metaphoricam, quæ est causalitas finis, præcisè consistere in aliquo antecedente actum voluntatis, scilicet in hoc quod finis appetendus exhibeat se voluntati & inuitet illam ad sui amorem, absque vllo alio ipsi voluntati superaddito. Ita Conimbricenses.

Secundà vult motionem hanc consistere in quadam entitate intentionali fluenti impressà voluntati ab ipso fine, ratione cuius trahit illam ad se, & facit vt gratia sui operetur, vnde talis motio seu entitas fluens antecedit actum voluntatis. Tertia Sententia, quæ est nostra, patebit ex dicendis.

Dico 1. motionem metaphoricam, per quam finis causat, non consistere in sola ostensione bonitatis & inuitatione obiectiua.

Probatur: Causalitas est id quo causa actualiter causat in suo genere, & in actu secundo influit in effectum: atqui illa ostensio bonitatis & obiectiua inuitatio, prout se tenet ex parte finis præcisè, non est id quo finis in actu secundo influit in effectum.

Probatur minor: posita causalitate, & influxu in effectum necessariò ponitur ille effectus, cum causalitas sit actualis dependentia effectus à causa: sed posita ostensione bonitatis finis, seu inuitatione illa obiectiuà præcisè, non ponitur aliquis effectus causæ finalis: ergo. Probatur minor: Primus & immediatus effectus finis est actualis amor sui ad quem allicit & inuitat voluntatem: sed fieri potest, & sæpissimè contingit vt positâ inuitatione illa obiectiua non sequatur in voluntate amor finis iuxta illud, *Video meliora proboque deteriora sequor.*

Dico 2. Motionem metaphoricam, qua finis mouet voluntatem, non esse quid intentionale immissum & impressum ipsi voluntati à fine per ostensio-

em seu exhibitionem propriæ bonitatis.

Probatur: finis in quantum finis, non causat efficienter, aliàs in quantum finis, esset causa efficiens quod est implicatorium: sed si immiteret & imprimeret aliquid reale, etsi intentionale, in voluntate, quo eam moueret & ad sui amorem alliceret, causaret efficienter, siquidem antecedenter ad actum voluntatis nulla esset causa à qua illud efficienter produci posset præter finem: ergo.

Dico 3. Motionem metaphoricam, quâ finis mouet voluntatem, nihil esse aliud quàm ipsammet actionem voluntatis prout est à fine. Itaque eadem actio & est à fine, & est à voluntate, & prout est à fine seu gratiâ finis, est causalitas ipsius; quatenus verò procedit effectiuè à voluntate, est causalitas voluntatis tanquam efficientis.

Probatur: Finis non est semper in actu secundo finalizans: ergo debet talis constitui per aliquid distinctum; sed non per aliquid antecedens actum voluntatis, vt probatum est conclusione prima & secunda; nec per aliquid subsequens illum: quia actus voluntatis actualiter dependet à causalitate finis, cùm sit propter finem; nec per aliquid simultaneum distinctum ab ipso, quid enim illud esset? ergo per ipsummet actum voluntatis prout formaliter elicitur gratiâ finis.

Probatur 2. Causalitas finis est motio: ergo id quo mouet & attrahit in actu secundo voluntatem, est eius causalitas: sed eam mouet in actu secundò per ipsammet actionem voluntatis ergo. Probatur minor ex differentia quæ est inter modum operandi intellectus & voluntatis, quæ in hoc consistit, quòd intellectus intelligendo attrahit ad se res intellectas, voluntas verò mouetur & trahitur in res volitas, vnde intellectus mouet res ipsas ad se, è contra voluntas mouetur ab ipsis rebus, & fertur extra seipsam. Quo posito sic formatur ratio: per eandem entitatem aut realitatem, nempe intellectionem, mouet intellectus res ad se, & res mouentur seu attra-

huntur ab intellectu: ergo à pari per eandem entitatem res volitæ mouent ad se voluntatem, voluntas mouetur & fertur in ipsas: sed voluntas fertur ac mouetur in finem per suam volitionem: ergo per eandem finis mouet & allicit ad se voluntatem.

Pro resolutione obiectionum aduerte eandem realiter volitionem, secundùm diuersas tamen & distinctas virtualiter formalitates, esse causalitatem finis, effectum eius, & causalitatem efficientis nempe voluntatis: est causalitas finis, quatenus est à fine alliciente, prout elicitur gratia finis vt sic præcisè, siue quatenus est ipsum vt ita dicam appeti & desiderari finis, eo proportionali modo quo agere est causalitas efficientis: est effectus finis, inquantum est à voluntate mota à fine, seu propter finem operante: item est causalitas efficientis, quatenus consideratur præcisè vt dependens à voluntate. Vt causalitas finis, antecedit prioritate causalitatis & instantis à quo, seipsam, tam prout est effectus ipsiusmet finis, quàm vt est etiam causalitas efficientis. Quando ergo

Obiicitur: effectus causæ non potest esse causalitas ipsius sed actio voluntatis est effectus causæ finalis: ergo. Item causalitas finis est prior causalitate efficientis, ita vt hæc realiter dependeat ab illis: atqui actio voluntatis non est prior seipsa, nec à se realiter pendet: ergo.

Responderi debet ad primum, distinguendo maiorem: Secundùm eandam formalitatem, concedo: secundùm diuersas, nego: & eodem modo distinguenda est minor, aut consequentia. Similiter ad secundum concessa maiori distinguo minorem; actio voluntatis non est prior seipsa, nec a seipsa dependet, secundum eandem formalitatem, concedo: secundum diuersas: nego: quatenus cum procedit à fine, est prior seipsa vt procedit à voluntate, ad quod sufficit distinctio virtualis inter huiusmodi formalitates.

Instabis; vt causalitas efficientis realiter dependeat à causalitate finis: non sufficit distinctio vir-

tualis inter vtramque : ergo.

Respondeo causalitatem efficientis dici dependere à causalitate finis realiter quatenus pendet realiter ab ipso fine, ab ipsa vero finis causalitate solum virtualiter, ad quod sufficit virtualis distinctio.



SECTIO V.

Vtrum natura agat propter finem.

NOmine naturæ intelliguntur omnia agentia siue vniuersalia siue particularia quæ ex inclinatione naturæ agunt, ad differentiam agentium liberorum, quibus indubitatum est maxime conuenire quòd agant propter finem, cum eum cognoscant & appetant ratione sui, alia verò intuitu eius. Quo posito.

Dico naturam agere propter finem. Est contra aliquos veteres Philosophos existimantes nihil fieri aut factum esse ex intentione alicuius finis sed omnia casu & temere contingere. Nihilominus

Probatur conclusio : Agere propter finem est sua operatione finem aliquem intendere: atqui natura, seu quodlibet agens naturale aliquem finem operando intendit (intellige, intentione innata quæ est inclinatio naturalis) putà cœlum suo influxu intendit cum equo producere equum, cum leone leonem, cum igne ignem : ergo.

Confirmatur : quæcumque fiunt aut temere fiunt & casu, aut propter aliquem finem : sed ea quæ fiunt à natura, non fiunt temere & casu, ergo. Probatur minor : quæ sunt casu ; nec semper, nec vt plurimum fiunt eodem modo : sed ea quæ fiunt à natura, aut semper aut saltem vt plurimum eodem

modo fiunt : ergo non fiunt casu & temerè. Patet minor : nam semper aut plerumque hyeme ningit, vere grandinat, homo nascitur cum quinque digitis in vtraque manu : cum dentibus anterioribus acutis, posterioribus latis, & sic de aliis : ergo quæ fiunt à natura, aut semper aut plerumque eodem modo fiunt.

Confirmatur 2. Bruta animalia nec ratione nec consilio prædita, sed solâ naturâ seu naturali inclinatione duce, multa & mira præstant ob varios fines, v. g. araneæ telas texunt muscis irretiendis aptas, aues nidos ædificant ad generandos alendosque pullos, formicæ construunt horrea in quæ varia congerunt grana quibus hiemali tempore vescantur : & ab animalibus ad plantas descendendo, videmus eas altius in terram defigere suas radices vt alimentum commodius percipiant & vt firmiores sint contra ventorum impetus : ergo.

Obiicies : non omnia cognoscunt finem : ergo non omnia agunt propter finem.

Pro solutione huius obiectionis sciendum est dupliciter posse aliquid agere propter finem : primo vt mouens seipsum in finem : secundò vt motum ab alio. Illud agens dicitur mouere seipsum in finem, quod, cùm apprehendat illum formaliter sub ratione finis, id est vt obtinendum per talia vel talia media, subindeque percipiat proportionem huiusmodi mediorum cum fine, ipsum actu proprio ita desiderat & intendit vt ex vi huius intentionis eligat media ad eum assequendum : illud verò dicitur agere propter finem, vt motum ab alio superiori agente & ab eo directum in huiusmodi finem, quod cùm vel nullo modo cognoscat finem, vt insensibilia, vel cognoscat illum tantùm materialiter, id est rem quæ est finis apprehendat, sed non formaliter sub ratione finis sensu explicato, non potest consequenter ipsum proprio actu intendere vt obtinendum per talia vel talia media, sed si feratur in aliquem finem & propter ipsum operetur, debet ferri in eum & pro-

pter ipsum agere vt ab alio motum & directum : ab alio inquam agente quod apprehendat & intendat talem finem, putà ab authore naturæ : qui cùm perfectissimè cognoscat fines proprios omnium agentium naturalium, nec non media ad illorum assecutionem proportionata, ipsos etiam fines intendit & ad ipsos mouet agentia naturalia mediis virtutibus actiuis, inclinationibus aut propensionibus naturalibus quas ipsis imprimit.

Ex quibus habes solas creaturas intellectuales agere propter finem tanquam mouentes se in ipsum; cætera verò omnia, quæ vel nullâ, vel tantum sensitiuâ cognitione sunt prædita, agere propter finem vt mota & directa ab authore naturæ, vel ab aliquo agente alio intellectuali (propter quod dici solet opus naturæ esse opus intelligentiæ, supple, vt dirigentis ipsum agens naturale ad suum opus.) Quamuis enim bruta cognoscant finem materialiter, id est, rem quæ est finis, non tamen formaliter vt per media assequendum, subindéque nequeunt ipsum formaliter in ratione finis intendere. Vnde.

Respondeo concesso antecedente, distinguendo consequentiam : ergo non omnia agunt propter finem a se proprio actu formaliter intentum, & vt mouentia se in illum, concedo : intentum ab authore naturæ, vel alio agente intellectuali, & consequenter vt mota & directa ab ipso, nego.


Dices : vt aliquid agat propter finem, debet moueri metaphoricè ab ipso, sed quæ diriguntur ab alio in suum finem, non mouentur a fine illo, cùm eum non cognoscant in ratione finis : ergo.

Respondeo distinguendo maiorem, vt aliquid agat propter finem : tanquam mouens se in illum, concedo; vt motum ab alio agente, nego.

Quæres, quid requiritur vt aliquod agens dicatur cognoscere finem in ratione finis, subindéque ipsum intendere proprio actu, seque mouere in illum.

Respondeo requiri vt conferat huiusmodi finem cum mediis, & è conuerso, ac cognoscat huiusmodi

mediorum proportionem quam cum tali fine habent, ad quod requiritur aliquis diſcurſus, vt patet; neque enim ſine diſcurſu poteſt hoc medium præ alio eligere. Et ex his poteris reſpondere ad multas inſtantias quibus probari videtur bruta ſagaciora mouere ſe in ſuos fines, ſeu agere ex intentione illorum à ſe elicitâ.



SECTIO V.

Vtrum natura intendat monſtra.

MOnſtrum eſt effectus à recta & ſolita diſpoſitione ſecundum ſpeciem degenerans: vt cùm homo naſcitur cum vnico pede, aut vnico brachio aut ſi biceps vel capite aut vultu inuerſo. Recta enim & ſolita diſpoſitio, quæ debetur homini ſecundùm ſuam ſpeciem, eſt quod habeat duos pedes, vnicum caput, &c. Cauſa autem huiuſmodi defectuum & monſtrorum eſt vt plurimùm defectus aut ſuperabundantia materiæ, vel aliqua eius indiſpoſitio, quamuis ad id etiam defectus aliquis virtutis actiuæ ſeu efformatiuæ fœtus ſæpius concurrat, & generaliter tot poſſunt eſſe cauſæ monſtrorum, quot ſunt principia ad effectum naturalem concurrentia, quæ deficere poſſunt. Hoc poſito.

Indubitatum eſt monſtra per ſe intendi à prima cauſa, cuius ordinationi & diſpoſitioni non ſolùm ſubſunt effectus per ſe intenti à cauſis ſecundis, ſed etiam fortuiti & caſuales, vt ſuprà vidimus, de quorum numero ſunt monſtra.

Dico 1. naturam non intendere per ſe primò monſtra.


Probatur: quia tam cauſæ vniuerſales quàm particulares, quæ hìc nomine naturæ intelliguntur, per

se primò intendunt perfectam assimilationem effectus cum causa proxima: sed monstrum vt tale deficit ab illa perfecta assimilatione: ergo vt tale non intenditur per se primò à natura sumpta siue pro causis vniuersalibus siue pro particularibus.

Dico 2. naturam per se secundo intendere monstra. Probatur & explicatur: natura influens in effectum intendit illum per se primò secundùm totam perfectionem intrà talem speciem illi debitam, sed quia ob defectum alicuius principij non potest quandoque ad eius perfectionem pertingere, ideo supposito illo defectu intendit suum effectum eo modo quo ipsum habere potest, & sic licèt non per se primò, tamen per se secundo intendit effectum monstrosum, cum nequeat tunc perfectiorem producere; qua ratione in animalium generatione natura intendit per se primò masculum, cum tamen ad eum non potest pertingere, intendit per se secundò femellam.

Nec tamen inde, aut ex superius dictis inferas feminas esse monstra, quia quamuis deficiant à recta & debita dispositione, non tamen à solita, quod ad rationem monstri est necessarium. Et ob eandem rationem si in aliqua mundi plaga, ita coadiuuante regionis illius fœcunditate, nascantur homines proceræ staturæ, vt gigantes, vel exiguæ admodum, vt pigmæi, non censentur tamen esse monstra, saltem respectu illius regionis, quia non fiunt præter leges à natura in huiusmodi effectuum productione ibi seruari solitas.






DISPVTATIO X.

De comparatione causarum inter se.

INITIO tractatus de causis comparauimus eas cum suis effectibus, ac ostendimus intrinsecas causas esse ignobiliores suo effectu: extrinsecas verò interdum nobiliores, interdum ignobiliores, aliquando æque nobiles: modò conferendæ sunt inter se postquam naturam cuiusque seorsim explicuimus.



SECTIO I.

Quomodo se habeant causæ ad inuicem quoad perfectionem & prioritatem in causando.

NOn comparamus causas ad inuicem in esse entis, sic enim certum est causas intrinsecas esse imperfectiores extrinsecis; item inter illas materiam esse formâ imperfectiorem; inter extrinsecas verò efficientem interdum esse ignobiliorem fine, vt cum agens intellectuale, puta homo, sibi proponit Deum pro fine; interdum nobiliorem: vt si proponat sibi

vilem aliquam creaturam, eiusque gratiâ operetur: similiter causam efficientem esse priorem aliis; deinde finem totalem, scilicet compositum, post quem succedit forma, & demum materia; quæ, ambæ existunt per totum. De his ergo non est hic quæstio, sed solùm reuocatur in dubium quomodo se habeant causæ illæ ad inuicem comparatæ in ratione causarum, an scilicet vna in causando sit prior perfectiórne altera, seu prius perfectiúsue influat in effectum. Ad quod.

Dico 1. Causas extrinsecas, scilicet finalem & & efficientem, esse perfectiores in causando quàm intrinsecas.

Probatur: Causa in ratione causæ dicitur perfectior à perfectiori modo causandi, seu influendi in effectum: atqui perfectiori modo influunt in effectum causa finalis & efficiens, quàm materialis & formalis, hæ enim influunt per modum partium componentium, subindéque entium incompletorum, secùs verò illæ. ergo. Vnde modus causandi finis & efficientis, quia non dicit imperfectionem, Deo competere potest, minimè verò modus causandi materiæ & formæ.

Dico 2. Formam etiam in ratione causæ esse perfectiorem materia. Quia scilicet habet nobiliorem modum causandi, cùm nobilius sit influere per modum actus, & informando, quàm per modum puræ potentiæ recipiendo & sustentando.

Dico 3. Finem in ratione causæ esse perfectiorem efficiente: addo semper in ratione causæ, quia interdum in ratione entis aliter est dicendum.

Probatur: quia maior vel minor perfectio in ratione causæ (vt dixi) petitur à perfectiori vel imperfectiori modo causandi: atqui perfectior est modus causandi finis quàm efficientis: ergo. Probatur minor: causalitas seu modus influendi in effectum eò est nobilior quò independentior: atqui causalitas finalis est independentior causalitate efficientis: ergo. Probatur minor; quia causalitas efficientis necessa-

riò præsupponit causalitatem finis, ab eàque necessariò dependet, & non è contra, siquidem anteà finis mouet agens ad agendum, agens subindè educit aut vnit formam, sicque motum à fine facit vt materia sustentet & forma informet. Ex quo patet finem causare vt immotum, seu independenter à motione alterius causæ prioris, & ideò se habere tanquàm primam causam respectu efficientis, materialis, & formalis, quæ proinde comparatione illius dici possunt secundæ, cùm in suo influxu dependeant à causalitate finis.

Confirmatur conclusio: causa vt talis est nobilior suo effectu, sed finis est causa causarum, ita vt aliæ in quantum causæ actu causantes comparentur ad finem, tanquàm effectus ad causam: ergo. Probatur minor: Quod est causa causalitatis alicuius causæ, est causa illius inquantum causæ: sed finis est causa causalitatum omnium aliarum causarum, cùm omnes moueat ad causandum, efficientem quidem immediatè, alias verò mediante efficiente. Ex quibus tandem fit causam finalem esse omnium nobilissimam in ratione causæ vt pote in suo modo causandi, omnium maximè independentem.

Obiicies: Causa quæ non habet esse nisi in intellectu, est ignobilior ea quæ habet esse à parte rei & extrà intellectum: sed causa finalis vt causet non exigit esse nisi in intellectu, efficiens verò à parte rei: ergo.

Respondeo distinguendo maiorem: Est ignobilior in esse entis, seu in modo essendi, concedo: in esse causæ, siue in modo causandi, nego: cum tali enim modo essendi in intellectu habet modum causandi nobiliorem, vt pote magis independentem.

Instabis: Modus causandi proportionatur modo essendi: ergo causa habens perfectiorem modum essendi, habet etiam perfectiorem modum causandi.

Respondeo distinguendo antecedens: Modus causandi materialiter & in esse entis consideratus, concedo: formaliter & in ratione modi causandi magis

vel minùs dependenter, nego : quæ distinctio applicanda est consecutioni.

Ex his inferes quòd si conferamus quatuor genera causarum ad inuicem, causa finalis est simpliciter prima quæ influit in effectum, secunda verò est causa efficiens, tertia materialis, quarta formalis. Patet hoc corollarium, præsertim ex conclusione immediatè præcedenti, causa enim finalis immota mouet agens ad agendum, & hoc sic motum & allectum à fine disponit materiam & mediante eductione aut actione vnitiua formæ facit vt materia sustentet & forma informet.

Quæres quomodo cum his stare possit illud axioma Philosophi, causæ sunt sibi inuicem causæ : ex illo enim infertur quod quæuis in suo genere sit prior in causando, subindeque corruere videtur ordo prioritatis & posterioritatis à nobis stabilitus.

Respondeo verissimum esse illud axioma, non in causis eiusdem generis, sed diuersi.

Quod causæ eiusdem generis non sint inuicem causæ, constat : nam aliàs si vna causa efficiens causaret aliam efficienter, & vicissim ab illa efficienter causaretur, sequeretur illud absurdum quòd scilicet vnaquæque foret causa sui ipsius, etenim quod est causa causæ est causa causati à tali causa in eodem genere, sicut quia calor ignis est causa efficiens caloris aquæ, qui calor ignis est causa efficiens caloris aquæ, qui calor aquæ iterum in eodem genere causæ efficientis causat calorem in manu, ideo calor ignis est causa efficiens saltem mediata caloris manus : ergo si vna causa efficiens causaret aliam efficienter, & ab ea mutuò causaretur, esset causa sui ipsius.

Quod autem causæ diuersi generis sint sibi inuicem causæ, suadetur : quia in se mutuo influunt, seu à se inuicem dependent vel quoad proprias entitates, vel saltem quoad suas causalitates, nam materia & influit in formam, & ea vt sustentante dependet forma, ad minus quantum ad informationem ; & vi-


cissima forma influit in materiam , quæ reciprocè ab illa dependet siue quoad entitatem siue quoad sustentationem. Item finis influit in causalitatem efficientis ; & efficiens vicissim influit, non in causalitatem finis quam solùm præsupponit : sed in esse reale illius si non præexistat , vel saltem causa eius acquisitionem & possessionem.


Dices : Quod est causa causæ, est causa causati : ergo si vna causa sit causa alterius, & ab ea mutuo causatur, erit causa sui ipsius.

Respondeo ex dictis antecedens esse verum, si sint in eodem genere causæ, secus si in diuerso: quia in diuerso, causa posterior non dat id quod acceperat à priori , sicut contingeret si in eodem genere se mutuo causarent. Vnde eodem modo distinguenda est consequentia.

Ex his omnibus sequitur quamlibet causam vt in proprio genere causantem & influentem in aliam, vel in alias , esse priorem illis in tali genere , & è conuerso posteriorem prout ab alia in proprio genere causante dependet ; subindéque huiusmodi causas sub diuersis rationibus, seu in diuerso genere esse naturâ priores & posteriores eo modo quo sibi inuicem sunt causæ & à se mutuò dependent.

Cùm quibus tamen stat quòd simpliciter, absolutè , & sine addito loquendo , eo modo ordinantur causæ quoad prioritatem & posterioritatem in ratione causarum , quo eas suprà ordinauimus ante quæsitum propositum ad quod ex his patet responsio.





SECTIO II.

An possit à pluribus causis totalibus eiusdem generis & ordinis idem numero effectus simul procedere.

CErtum est primò eundem numero effectum posse esse à pluribus causis diuersi generis: idem enim compositum procedit à causis materiali, formali, efficienti, & finali: & ideò addidi in titulo ly eiusdem generis: putà, an procedere possit à pluribus efficientibus, de quibus specialiter resoluemus hic quæstionem, de aliis causarum generibus aliàs sigillatim disputaturi, de finibus quidem in Ethica, de materiali verò & formali in libris de anima inquirendo videlicet in priori loco, num idem effectus possit habere simul plures fines totales, in posteriori vtrum idem compositum aut viuens constare possit pluribus materiis aut pluribus formis substantialibus vel animabus: in quibus consequenter ad principia hic stabilienda partem negatiuam tuebimur.

Certum est secundò eundem numero effectum posse esse à pluribus causis eiusdem generis; putà efficientibus, sed diuersi ordinis: idem enim ignis B; producitur ab igne A; vt à causa particulari, à cœlo & à Deo concurrentibus vt causis vniuersalibus & propterea addidi, eiusdem generis & ordinis.

Certum est tertiò posse etiam procedere à pluribus causis eiusdem generis & ordinis partialibus, sicut idem pondus portatur à duobus: & ideò addi-

di, ly totalibus. Addidi etiam simul, quia vtrum diuisim, est alia quæstio de qua sectione sequenti.

Difficultas ergo (vt res fiat clarior exemplo) consistit in hoc vtrum duo ignes v.g. possint eundem numero ignem, duo equi eundem numero equum producere tanquam causæ totales, ita vt totam suam entitatem & perfectionem habeat ignis vel equus productus à quolibet igne vel equo producente. Affirmant Suares & alij posse id saltem diuinitus fieri. Nihilominùs cum Thomistis.

Dico implicare contradictionem eundem numero effectum esse simul à duabus causis totalibus efficientibus eiusdem ordinis.

Probatur primo: Si vnus numero effectus procedet simul à duabus causis totalibus eiusdem ordinis penderet per se & essentialiter ab vnaquaque illarum, & non penderet: consequens inuoluit contradictionem: ergo

Prima pars sequelæ maioris probatur: Cuilibet effectui per se producto ab aliqua causa essentialis est dependentia ab illa, sicut enim effectui vt sic essentialiter conuenit quòd dependeat à causa vt sic, ita tali numero effectui essentiale, est quod dependeat à tali numero causa a qua productus fuit: atqui prædictus effectus per se produceretur ab vnaque illarum causarum, cùm à quauis illarum influente tanquam causa per se (vt suppono) haberet totam suam entitatem: ergo per se & essentialiter dependeret ab vnaquaque.

Dices: Deus potuisset producere se solo hunc numero effectum, putà Petrum à Ioanne genitum: ergo hic numero effectus non pendet essentialiter & indispensabiliter ab hac numero causa.

Respondeo concesso antecedente, distinguendo consequentiam: Non pendet essentialiter ab illa numero causa considerata vt est in se præcisè, per exclusionem primæ causæ in qua secundùm totam suam virtutem productiuam eminenter continetur, concedo: Non pendet ab illa vt est in se formaliter, vel

eminenter in Deo ſecundùm virtutem productiuam huius etiam numero effectus, nego.

Secunda pars eiuſdem maioris primi ſyllogiſmi probatur : Quod poteſt eſſe ſine alio non dependet eſſentialiter & indiſpenſabiliter ab illo : atqui effectus ille, qui procedit à duabus cauſis totalibus eiuſdem ordinis, potuiſſet eſſe ſine qualibet earum determinatè cum ſupponamus vnamquamque fuiſſe per ſe ſufficientem ad illum producendum, aliàs non eſſet totalis : ergo non dependet eſſentialiter & indiſpenſabiliter ab vnaquaque illarum.

Probatur ſecundò : Si idem numero effectus produceretur ſimul à duabus cauſis totalibus eiuſdem ordinis eſſet idem numerò & non eſſet idem numero: conſequens implicat contradictionem : ergo & id vnde ſequitur. Probatur ſequela maioris : nam imprimis eſſet idem numero vt ſupponitur, non eſſet verò reipſa, quia duæ actiones totales realiter diſtinctæ producunt duos effectus totales realiter diſtinctos, cùm actio ſit entitatiuè idem cum termino, & dicatur eadem vel diuerſa per ordinem ad eundem vel diuerſum terminum ſeu effectum : atqui cauſæ totales realiter diſtinctæ agunt per actiones totales realiter diſtinctas : ergo effectus illarum debent eſſe realiter diſtincti.


Obiicies 1. Detur minima materia conbuſtilis cui duo ignes in eadem diſtantia applicentur, vel certè ponamus duo lumina æquè intenſa per diuinam potentiam ſe penetrare & eſſe in vno & eodem planè loco, tunc vel quilibet ignis totam illam materiam incendet, nam cùm ſit minima in quam poſſit induci forma ignis, non poterit partim ab alio igniri ; vel certè neuter illam comburet, quod videtur abſurdum, cùm cauſa naturalis applicata & non impedita non poſſit ſuſpendere ſuam actionem & effectum : & idem eſt de duobus luminoſis ſe ſe penetrantibus, comparatione illuminationis vnius & eiuſdem partis aëris.

Reſpondeo vtraque ſuppoſitione admiſſa alteru-

trum fore, vel quòd huiusmodi agentia nihil agent, sed mutuò se se impedient propter inconuenientiam à nobis deductam in vtraque conclusionis probatione; vel certè (quod conformius est naturæ ipsorum & diuinæ prouidentiæ) agent dumtaxat vt causæ partiales, & sic ab illis non vt à causis totalibus, sed partialibus dumtaxat idem numero effectus producetur, non defectu principij, sed passi, quod non potest recipere effectus totales duorum agentium secundum eandem partem, cui illa, vt suppono, simul applicantur.

Obiicies 2. Plures ministri simul proferentes formam baptismi & abluentes possunt eundem hominem baptisare, subindéque eandem gratiam in anima eius simul producere: & reipsa omnes Sacerdotes in die suæ ordinationis consecrant simul cùm Episcopo eandem Hostiam, si simul cum illo formam consecrationis proferant, vt debent: atqui omnes & singuli baptisantes & consecrantes sunt causæ totales, cùm quilibet seorsim id possit solus: ergo plures causæ totales possunt eundem numero effectum producere.

Respondeo conclusionem nostram procedere solùm de causis totalibus principalibus, non de instrumentalibus quales sunt huiusmodi ministri, & Sacramenta (causa enim principalis gratiæ, & conuersionis panis in corpus Christi est solus Deus.) Ratio autem disparitatis est quia effectus non pendet per se à causa instrumentali, sed solùm à principali quæ sola continet vel formaliter vel eminenter perfectionem illius, subindéque ipsa sola per se & ratione sui potest illum producere, instrumentum verò non nisi in virtute causæ principalis: vnde si à pluribus causis totalibus principalibus eiusdem ordinis idem effectus produceretur, sequeretur illum ab vnaquaque illarum per se pendere, & non pendere, quod non sequitur si à pluribus instrumentis attingatur, cùm ab eis non pendeat per se: vnde ratio nostræ conclusionis non habet locum in istis.



SECTIO III.

An possit à pluribus causis totalibus eiusdem generis & ordinis idem numero effectus diuisim procedere.

SEnsus est, vtrum sicut ex dictis sectione præcedenti repugnat quòd idem effectus sit à duabus causis totalibus simul ita quod ab vnaquaque de facto acceperit totam suam entitatem; sic etiam implicet quod sit ab ipsis diuisim, id est quod ignis C. v. g. modo productus ab igne A. potuerit idem numero produci ab igne B. si hic fuisset applicatus eidem combustibili & sub iisdem circumstantiis loci & temporis. Affirmant Suares & alij id nedum supernaturaliter, sicut in casu præcedentis sectionis censent, sed etiam naturaliter fieri posse. Nihilominùs cùm Thomistis.

Dico, etiam implicare contradictionem eundem numero effectum ab vna causa totali productum, fuisse productum ab alia eiusdem ordinis si applicata fuisset.

Probatur 1. Rationibus quibus probauimus eundem numero effectum non posse simul produci à duabus causis totalibus: nam etiam sequeretur effectum pendere per se & non pendere ab aliqua causa, penderet enim per se ab hac causa ex suppositione quòd ab illa fuisset de facto productus; non penderet verò, quia potuisset sine hac produci.

Item esset idem numero effectus, vt supponitur; & non esset idem, quia fuisset productus per distinctam actionem.

Probatur 2. Specialiter nihil poteſt produci ab agente quod non contineatur intra ſphæram actiuitatis eius: ſed effectus qui ab vna cauſa totali vniuoca producitur, non continetur intrà ſphæram actiuitatis alterius cauſæ vniuocæ: ergo non poteſt aut potuit ab illa produci. Probatur minor quia quodlibet indiuiduum alicuius ſpeciei non ſe extendit ad totam ſpeciem, ita vt habeat vim productiuam totius ſpeciei, aliàs cùm ſub ea contineatur, poſſet ſeipſum producere, quod implicat; ſed debet aſſignari quædam certa ſeries indiuiduorum ad quam tantùm ſe extendat vis actiua cuiuſlibet indiuidui, & non vltrà: ergo effectus qui ab vna cauſa totali producitur, non continetur intrà ſphæram actiuitatis alterius cauſæ totalis eiuſdem ordinis.

Confirmatur: vna cauſa principalis non poteſt producere effectum proprium alterius cauſæ principalis eiuſdem ordinis aliàs eſſet proprius effectus iſtius vt ſupponitur, & non eſſet cum ab alia etiam vt à cauſa principali poſſet produci: ſed ignis C. productus ab igne A eſt proprius effectus illius: ergo non potuit produci ab igne B. Probatur minor: potentia generatiua quæ eſt in igne A cum ſit talis potentia generatiua, & non potentia generatiua ignis vt ſic, non poteſt habere pro ſuo effectu proprie omnes ignes generandos, ſed certam & determinatam collectionem indiuiduorum ignis diuerſam ab ea quam reſpicit potentia generatiua quæ eſt in igne B. & ſic de aliis: ergo ignis C. productus ab igne A eſt proprius effectus potentiæ generatiuæ quæ eſt in huiuſmodi igne A. Aut intra limites illius continetur.

Dices; Quodlibet indiuiduum poteſt, quantum eſt de ſe, infinita ſyncategorematicè indiuidua ſuæ ſpeciei producere, id eſt quolibet producto poteſt aliud & aliud generare: ergo poteſt ad omnia illius ſpeciei indiuidua ſe extendere.

Reſpondeo conceſſo antecedente negando conſequentiam, quia in qualibet ſpecie ſunt infinities in-

finitæ (infinitate syncategorematicâ) possibiles indiuiduorum series & veluti greges, ita vt cuilibet indiuiduo correspondeat sua congeries effectuum ab ipso producibilium syncategorematicè infinita tanquam terminus adæquatus suæ actiuitatis.

Obiicies : ideò effectus ab vna causa totali productus non potuisset ab alia produci, quia est proprius illius prioris causæ, & ab ea necessariò & essentialiter dependens : atqui hoc est falsum : ergo. Probatur minor : Si dependeret essentialiter & indispensabiliter ab illa causa totali vniuoca, non potuisset idem numero produci ab alia causa etiam æquiuoca : atqui hoc est falsum, idem enim numero ignis aut calor qui ab alio igne est productus, potuit produci à Deo qui est causa æquiuoca & vniuersalissima rerum omnium creatarum, potuit quoque produci à sole absque ignis concursu : ergo.

Respondeo causam æquiuocam esse in duplici differentia. Alia enim est quæ continet virtutem actiuam & effectum causæ inferioris vniuocæ, nedum quoad rationem specificam, sed etiam secundùm rationem indiuidualem & numericam, vnde sine concursu huiusmodi causæ inferioris potest absolutè eundem numero effectum, qui ab illa natus est produci, attingere ; & talis est sola causa prima quæ ratione suæ virtutis infinitæ & illimitatæ omnes causarum secundarum virtutes & effectus secundùm omnes omninò rationes eminenter continet, & propterea se solâ potest huiusmodi effectus producere, quando aliunde nulla est repugnantia. Alia verò est causa æquiuoca quæ eminenter quidem continet virtutem actiuam & effectum causæ inferioris secundùm suas rationes specificas, non tamen quoad indiuiduales : & ideò quamuis possit concurrere cum causa inferiori ad producendum effectum ipsius, non tamen potest se solâ eundem numero producere : & huius generis est Sol, qui eminenter continet virtutem actiuam ignis & cuiuslibet agentis corporei inferioris, continet, inquam, huiusmodi virtutem

actiuam & effectus eius quoad rationem specificam, & ideo ad illos concurrit; non verò quoad rationes indiuiduales, & propterea non potest se solo & absque concursu ignis effectus ipsius producere, quamuis possit se solo producere similem effectum solo numero diuersum, vt alterum ignem, aut calorem. Ratio autem cur Sol non contineat eminenter, nec subinde possit producere eosdem numero effectus, putà ignes aut calores, quos ignis producit vt causa vniuoca, est quia virtus eminentialis productiua caloris aut ignis, quam habet Sol, est aliqua virtus finita, determinata, & diuersa ab ea quam habet ignis, atque adeò debet respicere diuersam collectionem indiuiduorum ignis aut caloris à se producendorum, diuersam, inquam ab ea quam quilibet ignis aut calor respicit tanquam proprium effectum. Ex quibus.


Ad obiectionem in forma nego minorem. Ad probationem distinguo maiorem: Non potuisset produci à causa æquiuoca, continente virtutem actiuam & effectum proprium causæ vniuocæ tam quoad rationem communem & specificam, quàm quoad indiuidualem, nego: continente tantum quoad rationem specificam aut communem, concedo: quæ distinctio proportionaliter est applicanda minori & dicendum eundem numero ignem aut calorem, qui de facto productus est ab altero igne, potuisse à causa prima produci, non verò à Sole ob rationem superiùs adductam.

Instabis: Nullum possibile est indiuiduum caloris quod ab alio calore produci non possit: atqui plurima sunt indiuidua caloris quæ Sol per suam virtutem eminentialem calefactiuam (quæ est lux) producit se solo: ergo eadem indiuidua, seu idem numero effectus secundùm suas rationes indiuiduales considerati, possunt produci indifferenter aut à causa vniuoca, putà calore, aut ab æquiuoca sola. Probatur minor: nam calor prout est formaliter virtus calefactiua, habet pro obiecto seu effectu primario omnes calores producibiles, sicut virtus ge-

neratiua hominis vt ſic omnes homines generabiles.

Reſpondeo negando maiorem: calores enim indiuiduales, qui producuntur à Sole ſine concurſu alterius caloris tanquam cauſæ inferioris, nequeunt ijdem numero ab altero calore produci. Ad probationem reſpondeo calorem, qui eſt formaliter virtus calefactiua, habere pro ſuo effectu adæquato vnam collectionem calorum diuerſam ab ea quæ correſpondet virtuti eminentiali calefactiuæ quam habet Sol. Ad exemplum quod affertur in obiectione nego paritatem: quia enim non datur aliqua potentia eminentialis creata generatiua hominum, ſed tantùm formalis quæ eſt in homine, ideò huiuſmodi potentia generatiua vt ſic debet reſpicere omnes homines generabiles: at verò præter calorem, qui eſt virtus calefactiua formalis, datur in Sole virtus eminentalis calefactiua, & ideò non poteſt calor reſpicere omnia indiuidua caloris producibilia.






IN TERTIVM quartum, quintum, & sextum librum Physicorum.

DISPVTATIO PRIMA Ordinē XI.

De Motu.

AGIT Philosophus libro tertio de motu & de infinito, libro quarto de loco & tempore, libro quinto de termino motus eiusque vnitate aut diuersitate, & libro sexto de continuo. Cui ordini non omnino adhærebimus, sed facilioris doctrinæ & methodi gratiâ eum aliquatenus immutabimus speciatim quoad ea quæ locum concernunt de quo in libris de cœlo.





SECTIO I.

Quid sit motus, & quomodo distinguatur ab actione, passione, & termino.

DIco primò: Motus rectè definitur actus entis in potentia prout in potentia: ac si diceretur est perfectio entis in potentia: hoc est eius rei quæ adhuc est in potentia ad formam aut ad aliquam partem formæ quæ acquiritur; vt est in potentia, id est, prout vlteriùs tendit ad eiusmodi formam acquirendam: e. g. acquisitio caloris est motus, quia est actus seu perfectio subiecti quod calefit quodque est in potentia seu tendentia ad vlteriorem calorem: vnde dicitur actus imperfecti, id est subiecti priuati perfectione, ad eamque tendentis: atque ita motus non est formaliter ipse terminus aut forma quæ acquiritur, sed via & fluxus seu tendentia ad ipsam, & propterea clariùs potest motus definiri dicendo esse viam seu tendentiam mobilis ad terminum.

Ex quibus patet bonitas definitionis allatæ, in qua loco veluti generis ponitur actus, quæ particula exprimit rationem communem motui, qui est actus, imperfectus & vialis, & aliis actibus qui sunt perfecti, completi, & permanentes: quæ differentia exprimitur per verba sequentia, esse enim actum entis in potentia prout est in potentia seu tendentia ad terminum est esse actum vialem & veluti promouentem ad actum perfectum qui est terminus. Vnde.

Habes primò rationem motus physici qui difinitur hìc, propriissimè conuenire motibus successiuis, vt alterationi, augmentationi, & motui locali: via

enim & tendentia ad terminum, si in rigore loquamur, importat successionem realem, seu acquisitionem termini paulatim per partes factam, quod conuenit soli motui successiuo qui nihil aliud est quàm successiua acquisitio termini: Absolutè tamen ratio motus eiusque definitio conuenit etiam motui instantaneo, cuiusmodi sunt generatio, corruptio, illuminatio, quæ fiunt in instanti: introductis enim dispositionibus materia vnico instanti mutatur de forma præcedenti ad non esse illius, & de non esse seu priuatione formæ introducendæ ad ipsam; similiter aër quantum est de se vnico instanti illuminatur: Conuenit, inquam, præfata definitio his etiam mutationibus, quia licet in illis non detur successio realis seu acquisitio formæ per partes, important tamen successionem naturæ, priùs enim naturâ intelligitur generatio aut illuminatio in subiecto, quàm forma aut lux introducta, atque adeò sufficienter intelliguntur habere rationem viæ, seu tendentiæ ad ipsam.

Habes secundò rationem motus hîc definiti non competere actionibus sensitiuis, nec intellectioni, aut volitioni, etiam pro hoc statu in quo exercentur dependenter à corpore sicque sunt mutationes corporeæ saltem quoad modum, vt alias explicuimus: Ratio huius consectarij est, quia motus, vt diximus, est via & tendentia ad aliquem terminum seu formam acquirendam, vnde est tantùm actus vialis & imperfectus tendens ad perfectionem: prædictæ autem operationes sunt actus perfecti & completi; nec tendunt ad vlteriorem terminum, vnde ponuntur directè in prædicamento, nempe sub prima specie qualitatis, cùm tamen motus ab omni categoria exulet & inter postprædicamenta collocetur: ergo.

Verum tamen est rationem communissimam motus, eo modo quo ponitur in definitione naturæ, conuenire prædictis operationibus: motus enim in definitione naturæ sumitur pro omni mutatione cor-

porea cuius princ. ium & radicem in se habet eius naturale.

Dices: definitur hîc motus prout est proprietas entis naturalis vt sic: ergo prout ponitur in definitione naturæ: ergo si hoc modo comprehendit operationes illas, etiam prout hic definitur eas comprehendet.

Respondeo negando definiri hîc secundùm illam rationem in tota sua latitudine, sed solum motum imperfectiorem & notiorem nobis.

Dico 2. motum realiter modaliter distingui ab actione, passione, & termino, & hæc pariter à se inuicem.

Primò quòd motus distinguatur ante omnem mentis operationem ab actione & passione, suadetur contra Suarem: quia motus est ens omnino incompletum, siquidem nihil aliud est quàm fluxus & via ad terminum, & ideò à prædicamentis excluditur: actio verò & passio sunt entia completa & directè collocantur in prædicamento: constat autem ens realiter incompletum distingui ante omnem mentis operationem ab ente realiter completo, neque enim vnum est aliud, id est, incompletum non est ante omnem mentis operationem completum, nec subinde idem cum illo.

Dices: Actio & passio dicuntur communiter esse vnus motus: ergo motus non distinguitur ab illis.

Respondeo locutionem illam esse veram materialiter quatenus actio & passio sunt eadem entitas realiter cum motu, non autem formaliter, quia non formaliter, sed modaliter distinguuntur, ita vt actio supra motum addat egressum seu emanationem ab agente, passio verò receptionem in passo, quæ sunt formalitates modaliter distinctæ, vnde actio dicitur motus prout est ab agente, passio verò est idem motus prout receptus in passo, ita vt huiusmodi formalitates actionis & passionis insint motui tanquam subiecto *quo* vt pote quæ illo mediante inhærent substantiæ, & ideò motus non ponitur in definitione actio-


nis & passionis tanquam genus aut aliquid superius, sed vt subiectum, sicut in definitione aliorum accidentium fieri solet.

Secundò, quòd motus distinguatur à termino ante omnem mentis operationem, euidentiùs probatur: duplex enim est terminus motus, à quo, & ad quem: quòd distinguatur à termino à quo, rès est nimis clara, cum incipiente motu desinat aut relinquatur terminus à quo: quòd etiam à termino ad quem, de quo est quæstio, facilè probatur: via enim realiter distinguitur à termino, saltem distinctione modali, siquidem illa desinente manet terminus, putà calor transactâ calefactione seu eius acquisitione: atqui motus est via & tendentia ad terminum; ergo. Deinde, motus est ens incompletum & à prædicamentis exclusum; terminus verò, putà calor, est ens completum, ergo cum ens incompletum non sit ante omnem mentis operationem ens completum, motus non erit idem cum termino.

Tertiò, quòd etiam actio, passio; & terminus ab inuicem distinguantur ante omnem mentis operationem, probatur in primis, quia pertinet ad diuersa prædicamenta: calefactio enim spectat ad prædicamentum actionis, calefieri verò seu receptio caloris in passo pertinet ad categoriam passionis, & calor ad categoriam qualitatis: quæ autem pertinent ad diuersa prædicamenta, ante omnem mentis operationem distinguuntur, siquidem habent essentias per se primò diuersas & in nullo vniuocè conuenientes: ergo. Deinde, quia actio ante omnem mentis operationem est emanatio motus aut effectus ab agente, passio est receptio eiusdem in passo, terminus verò, puta calor, est quid omnino absolutum: sed emanatio ante omnem mentis operationem non est formaliter receptio in passo, nec vtraque est quid omnino absolutum, sicut terminus: ergo ante omnem mentis operationem distinguuntur formaliter.

Quæres, quomodo distinguantur effectus & terminus.

Respondeo esse idem realiter sed sub diuersa ratione spectatum: idem enim calor quatenùs efficitur ab agente, dicitur effectus; quatenùs verò terminat motum, quo subiectum transit de frigido in calidum, appellatur terminus.



SECTIO II.

De subiecto motus & actionis.

Cùm actio, passio, motus, & terminus sint realiter vna entitas, & solùm modaliter seu formaliter ab inuicem distinguantur, non mouemus hîc quæstionem de termino motus, nec de passione, supponimus enim terminum motus subiectari in mobili. Et quidem de termino motus localis relinquitur certum ex dictis in Logica, vbi ostendimus prædicamentum vbi, qui est terminus prædicti motus, non esse dumtaxat locum extrinsecum, aut extrinsecam denominationem ab eo desumptam, sed formalitatem aliquam realem, vel modum intrinsecè afficientem mobile seu rem quæ localiter mouetur vel est in loco. Quantum verò ad terminos aliorum motuum res est in confesso apud omnes, eos scilicet subiectari in mobili, putà terminum generationis, qui est forma substantialis, in materia; terminum alterationis, qui est qualitas, in re quæ alteratur; terminum augmentationis, seu quantitatem in eo quod augetur. Similiter ex propria definitione passionis relinquitur certum ipsam subiectari in passo, cum nihil aliud sit quàm receptio motus aut effectus in eo.

Aduerte autem idem esse in re ipsa mobile & passum: nam idem subiectum, quatenus recipit effectum ab agente, dicitur passum: quatenus verò mouetur, seu transit de termino à quo ad terminum ad

quem, qui in re est idem ac effectus, appellatur mobile. His positis.

Dico 1. omnem motum subiectari in mobili.

Probatur euidenter: quia motus realiter entitatiuè identificatur cum termino: ergo est in eodem subiecto cum illo: sed terminus recipitur in mobili, putà calor, qui est terminus alterationis, in aqua, vbi in re locata, & sic de aliis: ergo.

Confirmatur specialiter de locali motu, quem nonnulli volunt subiectari in spatio quod mobile pertransit, & non in ipso mobili: nam forma in eo subiectatur in quo reperitur eius effectus formalis: sed effectus formalis motus localis reperitur in mobili, non verò in spatio: ergo motus localis recipitur in mobili. Probatur minor: effectus formalis motus localis est localiter moueri: sed mobile est, non verò spatium, quod localiter mouetur, seu de vno loco transit in alium: ergo. Contra hoc.

Obiici solùm potest sententia illorum qui tenent terminum motus localis esse locum extrinsecum, non verò aliquid intrinsecè receptum in mobili, atque adeò iuxta ipsos nec motus in eo recipi debet. Sed ad hoc.

Responsio patet ex Logica, vbi ostendimus sex vltima prædicamenta, atque adeò vbi quod est terminus motus localis, esse quid intrinsecum: quamuis etiam dici possit quid extrinsecum, quatenus ab extrinseco pendet putà à loco.

Dico 2. actionem transeuntem non subiectari in agente, sed in passo.

Dixi, transeuntem: de illa enim solùm, quæ coniuncta est cum motu, agitur in hac disputatione, non verò de immanente quam ex ipsa nominis appellatione constat in ipsomet agente subiectari, ideò enim appellatur immanens quia remanet in principio à quo elicitur.

Probatur autem primò conclusio hac ratione: Omnis actio realiter entitatiuè identificata cum motu recipitur in mobili seu passo, cùm in eo subiecte-

tur

tur ipse motus, vt probatum est : atqui omnis actio transiens identificatur entitatiuè cum motu : ergo recipitur in passo, & non in agente. Maior est euidens: quæ enim sunt in diuersis realiter subiectis, nequeunt esse vna & eadem entitas : ergo si actio sit eadem entitas cum motu, debet recipi in eodem subiecto. Minor verò non est minùs clara : actio enim transiens nihil aliud est quàm motus prout emanans ab agente, quæ emanatio ad summum modaliter distinguitur ab ipso motu vt suprà ostensum est : ergo entitatiuè sunt idem.

Probatur 1. Duo membra inferiora immediatè & adæquatè diuidentia aliquod superius debent constitui per rationes oppositas, vt inductiuè patet in substantia & accidente quæ constituuntur per rationes seu modos essendi per se & in alio & diuidunt ens vt sic; item in homine & bruto diuidentibus animal in communi, &c. atqui actio transiens & immanens sunt duo membra immediatè & adæquatè diuidentia actionem vt sic : ergo debent constitui per rationes oppositas: sed propria & essentialis ratio actionis immanentis, prout immanens est, consistit in hoc quòd sit perfectio intrinseca agentis & in illo maneat : ergo è contrà propria ratio actionis transeuntis vt talis erit quod non sit perfectio intrinseca agentis, sed alterius, nempe passi, subindéque quòd non in agente sed in passo resideat.

Obiicies 1. Causalitas debet esse in eo cuius est causalitas: sed actio est causalitas agentis, ergo. Probatur maior : Constitutiuum alicuius rei debet esse in ea : sed causalitas constituit causam in ratione causantis actu ergo debet esse in illa.

Respondeo negando maiorem vniuersaliter sumptam : siquidem causalitas finis, quæ vt suprà vidimus, est actio voluntatis quatenùs fit gratia illius, non est in ipso fine, sed in voluntate, & in proposito causalitas transeunter agentis est in passo. Ad probationem distinguo maiorem : Constitutiuum rei in se ipsa, concedo : in ratione perficientis aliud, ne-

go : cùm enim constitutiuum rei in ratione perficientis aliud supponat ipsam ex parte sui omninò constitutam, non est necesse quòd illi aliquid intrinsecum addat, talis autem est causalitas agentis quæ constituit ipsum duntaxat in ratione perficientis passum, loquendo de agente & actione transeunte, subindéque supponit ipsum omnino constitutum tam in ratione principij habitualis per virtutes actiuas, quàm actualis seu ad operationem applicati per physicam præmotionem, atque adeò necesse non est actionem intrinsecè afficere huiusmodi agens.

Obiicies 2. Forma denominans est in subiecto quod denominat: sed actio transiens denominat agens actu operans: ergo est in eo.

Respondeo distinguendo maiorem: est in eo quod denominat, denominatione intrinseca, concedo: extrinseca, tantùm, nego: actio verò transiens cum sit actus agentis tanquam principij à quo & non in quo, denominat ipsum tantùm extrinsecè.

Dices: Forma quæ denominat aliquid extrinsecè, debet denominare aliud intrinsecè, vt patet de visione: sed actio nihil aliud denominat præter agens: ergo non denominat illud extrinsecè tantùm.

Respondeo negando minorem: actio enim principium *à quo* elicitur denominans extrinsecè actu agens, intrinsecè denominat passum affectum actione, vel etiam effectum actu productum aut factum, vt calefactio denominat lignum calefactum, ignem productum, &c. Neque necesse est quòd subiectum, in quo recipitur, denominetur ab illa agens, quia inhæret illi inquantum accidens, non verò reduplicatiuè inquantum actio, sub hoc enim conceptu non petit subiectum inhæsionis, sed tantum emanationis principium.

Obiicies 3. Perfectio est in eo cuius est perfectio: sed actio etiam transiens est maxima & vltima perfectio agentis: ergo est in eo & non in passo.

Respondeo distinguendo maiorem: est in eo cuius est perfectio intrinseca, concedo: extrinseca, ne-

go : actio autem transiens est perfectio intrinseca solius passi, extrinseca verò agentis.


Dices omne agens, (vt habet commune proloquium) est propter suam operationem, quatenus per illam perficitur: atqui nihil est ob perfectionem sibi extrinsecam : ergo operatio est perfectio intrinseca agentis.

Respondeo distinguendo maiorem : Quatenus per illam perficitur, vel, intrinsecè, si sit immanens, vel extrinsecè, si transiens, concedo : intrinsecè semper, nego : & nego minorem, cùm enim actio transiens cedat in bonum commune, putà in conseruationem speciei & vniuersi, quod bonum est nobilissimum potest agens particulare esse propter suam operationem ob illum finem extrinsecum.

Obiicies vltimò : Illud est intrinsecum agenti, per quod eius potentia intrinseca reducitur ad actum: atqui per actionem potentia intrinseca agentis reducitur ad actum : ergo

Respondeo illud per quod potentia passiua seu receptiua reducitur ad actum, debere esse illi intrinsecum ; non autem illud per quod potentia actiua reducitur ad actum formaliter. Addo, formaliter, quia præmotio per quam applicatiuè, vt ita loquar, ad actum reducitur, debet esse intrinseca illi.

Ex dictis inferes in actione transeunte, sumendo ipsam cum omnibus quæ eam antecedunt, concomitantur, aut sequuntur, reperiri primò virtutem actiuam, secundò præmotionem applicantem eam virtutem ad actum secundum, tertiò actionem qua effectus emanat ab agente, quarto passionem qua recipitur in passo, quinto motum quo subiectum transit de termino à quo ad terminum ad quem, sexto effectum, vltimo duas relationes, vnam ex parte agentis, alteram ex parte passi, quæ in actione & passione, modo aliàs explicato, fundantur.



SECTIO III.

De termino motus.

QVamuis motus physicus, tam de instantaneo, qui non includit realem successionem temporis, sed solum naturæ, vt sectione prima explicuimus, quàm de successiuo, qui illam importat, dicatur absolutè vti de duplici membro sui adæquatè diuisiuo, propriissimè tamen nomine physici motus intelligitur solus successiuus, & de illo tantum agitur in præsenti, quæritúrque quinam sit eius terminus per se, seu ad quid per se terminetur: quod etiam aliis verbis quæri solet, quænam videlicet prædicamenta per se & ratione sui terminent motum, seu successiuè per motum fiant. Pro cuius resolutione.

Aduerte ad motum successiuum tres præcipuè requiri conditiones: prima est vt sit inter terminos positiuos: secunda, vt termini illi sint contrarij: tertia, vt habeant latitudinem successiuè percurrendam vel partium, quæ dicitur latitudo extensiua, ad quam reducitur extensio spatij per quod fit motus localis; vel graduum, quæ appellatur latitudo intensiua. Ratio horum est, quia motus successiuus in hoc ab instantaneo differt, quòd hic est acquisitio termini subita & tota simul seu in instanti; ille verò, successiua & pedetentim in diuersis partibus temporis: non potest autem, vt euidens est, acquisitio huiusmodi successiua esse & diuersis temporis partibus fieri, nisi terminus acquirendus latitudinem habeat, vel extensiuam, vt dixi, ratione cuius per partes paulatim acquiratur, vt quantitas & locus vel vbi; vel intensiuam, ratione cuius acquiratur per gradus aut modos maioris & maioris radicationis in subiecto,

vt qualitas ; & consequenter nisi terminus à quo successiuè etiam & per partes aut gradus vel modos deseratur & sic habetur vna ex illis conditionibus, ex qua aliæ duæ deducuntur : non enim possunt terminus á quo & terminus ad quem hoc modo successiuè & per partes acquiri vel deseri, nisi imprimis positiui sint, quæ est altera conditio ; etenim priuatio cùm in indiuisibili consistat, tota simul & instanti deseritur aut acquiritur, qua de causa illuminatio, quæ est mutatio de priuatione lucis ad esse illius, motus instantaneus est, quantum est de se, sicut etiam generatio & corruptio quæ similiter sunt à priuatione ad formam, aut è conuerso : & nisi secundò contrarietatem inter se habeant, seu specialem oppositionem & incompossibilitatem, ratione cuius adueniente termino ad quem deperdi aut deseri debeat necessariò terminus à quo quæ oppositio ad contrariam necessariò reduci debet, vt pote quæ est inter terminos positiuos, non relatiuos (quia vt statim videbimus relatio nequit esse terminus per se motus) sed absolutos, in quo sita est ratio oppositionis contrariæ : ergo requiruntur tres illæ conditiones ad motum successiuum. Et insuper vt aliquid per se & ratione sui illum terminet, requiritur aut præsupponitur alia conditio generalis, quod videlicet per se & ratione sui fiat, & non solùm ratione alterius. His prælibatis.

Dico 1. non dari per se motum ad substantiam, siue quod terminis inuersis idem est, substantiam non terminare per se motum.

Probatur : Motus est acquisitio termini successiua & per partes sed substantia per se & ratione sui non fit nec acquiritur successiuè & per partes : ergo non terminat per se motum. Probatur minor : quia substantia ratione sui præcisè est indiuisibilis priuatiuè, subindéque nullas de se habet partes, vt in libris de anima ostendimus : ergo.

Dices : Nutritio terminatur per se ad substantiam : atqui nutritio est motus successiuus : ergo datur per

se motus successiuus ad substantiam. Probatur minor: nutritio enim est successiua acquisitio seu aggeneratio substantiæ.

Respondeo distinguendo minorem: Nutritio est motus successiuus ratione sui præcisè & in quantum terminatur ad substantiam intrà lineam substantiæ, nego. ratione alterius, nempe ratione coniunctionis cum motu successiuo augmentationis, & vt terminatur ad substantiam affectam quantitate ab eâque partes successiuè acquisibiles habentem, concedo: similiter distinguo consequentiam: Ergo datur motus successiuus ad substantiam, intrà lineam substantiæ, nego: ad substantiam vt affectam quantitate ita vt ratione quantitatis sit successiuus ille motus, concedo. Huius solutionis explicationem sicut & conclusionis præcedentis ac sequentium pleniorem intelligentiam habebis loco citato.

Probatur 2. Terminus per se motus successiui debet fieri ex termino à quo positiuo & contrario, vt patet ex dictis: sed substantia non fit ex termino à quo positiuo & contrario, sed ex sui priuatione: ergo,

Probatur minor quoad primam partem: vna enim substantia non fit ex alia tanquam ex termino à quo alias cùm terminus à quo alicuius motus determinatus sit, vna substantia semper fieret ex aliqua alia determinata, quod est falsum, neque enim ignis semper fit ex ligno, v. g. ergo substantia non fit ex termino positiuo & contrario, ille enim non posset esse alius quàm substantia præcedens quæ corrumpitur. Ex quibus patet etiam secunda pars minoris: ignis enim per se & semper fit ex non igne, per accidens autem est quòd fiat ex ligno vel ex aliqua alia substantia. Si autem sint aliquæ formæ substantiales quæ fiant ex quibusdã aliis determinatis, vt forma cadaueris, ex forma animalis hæc ex forma embrionis: & hæc ex forma seminis, hoc non est per se & ex vi mutationis seu generationis, sed ratione subiecti in quo reperiuntur dispositiones sufficientes ad formam cada-

ueris, recedente forma animalis, & non ad aliam: & sic de cæteris.

Dico 2. ad relationem, actionem, passionem, situm, quando, & habere non datur per se motus.

Probatur 1. quantum ad relationem, situm, quando & habere: quia deest illis generalis conditio requisita ad terminandum motum, cùm non fiant per se & ratione sui, sed ratione alterius, nam relatio resultat ad productionem fundamenti & termini; situs sequitur ex vbi siue ex eo quòd res sit cum tali vel tali dispositione vbicata & præsens loco; quando ex eo quod res sit in tempore vt in mensura extrinseca propriæ durationis; & habere ex extrinseca applicatione vestium vel armorum. Adde hæc omnia nec contrarietatem nec latitudinem habere intensiuam aut extensiuam: ergo non possunt per se terminare motum.

Probatur secundò, quantum ad actionem & passionem: quia si ad actionem daretur per se motus, daretur actio ad actionem, cum motus non sit sine actione. Deinde cum actio & passio sint vnus motus, daretur motus, ad motum: hoc autem dici nequit nisi admittatur processus in infinitum: ergo.

Dico 3. ad tria tantum prædicamenta dari per se motum, nempe ád quantitatem, qualitatem, & vbi. Sensus hujus conclusionis non est has formas, quotiescunque producuntur, fieri per motum successiuum possunt enim fieri in instanti, quando scilicet fiunt ad productionem alterius, vt patet de quantitate in generatione substantiali producta, quæ quia resultat tanquam proprietas ex substantia materiali, producitur in instanti, quia tunc sequitur modum productionis ipsius substantiæ. Asserit itaque conclusio prædicta accidentia, quando per se & secundùm suum modum connaturalem producuntur, terminare ratione sui motum.

Probatur conclusio sic explicata: quia omnes conditiones requisitæ vt forma aliqua motum per se terminet, inueniuntur in his tribus prædicamentis:

ergo terminant per se motum. Antecedens probatur: nam in primis in quolibet istorum prædicamentorum reperitur forma successiuè acquisibilis quia habet latitudinem, vel extensionis, vt in quantitate, putà inter quantitatem paruam & magnam; vel extensionis, vt inter primum & quintum gradum caloris; vel localis distantiæ, vt inter locum sursum & deorsum; quæ tria genera latitudinis retardant productionem vel mutationem, vt in instanti fieri non possit; & ecce primam conditionem: insuper repe-riuntur ibi termini positiui, quantitas enim minor quæ est terminus à quo, & quantitas maior quæ est terminus ad quem, similiter primus gradus caloris dum se habet vt terminus à quo, & quintus gradus v. g. qui est terminus ad quem, important entitates positiuas, & idem est de loco sursum & deorsum; & ecce secundam conditionem: vltimò tandem termini illi sunt contrarij & incompossibiles, neque enim simul & semel in eodem subiecto reperitur quantitas maior & quantitas minor secundùm positiuam terminationem minoris, sed maiori adueniente perit minor non secundum suam entitatem materialem, sed secundùm positiuam illam terminationem seu statum minoritatis; & idem proportionaliter dicendum de qualitate, nam adueniente perfectiori & intensiori calore desinit calor remissus sub illa formalitate qua remissus est, licet non desinat quoad entitatem materialem; sic acquisito loco sursum deperditur locus deorsum; & ecce tertiam conditionem, nimirum contrarietatem seu incompossibilitatem terminorum.

Obiicies 1. Quantitas & vbi non fiunt ex suis contrariis: ergo non terminant per se motum successiuum. Probatur antecedens: quia contrarietas non reperitur nisi inter qualitates: ergo quantitas minor & maior, vbi deorsum & sursum non opponuntur contrariè, subindéque quantitas maior non fit ex minori tanquam ex suo contrario.

Respondeo contrarietatem quidem omnino strictè

ſumptam reperiri inter ſolas quantitates, putá frigus & calorem, nihilominus contrarietas ſumpta pro incompoſſibilitate & ſpeciali repugnantia inter duos terminos poſitiuos, quo ſenſu hic ſumitur à nobis, reperitur etiam inter quantitatem minorem & maiorem, inter vbi deorſum & ſurſum. Ex quo facilè reſponderi pôteſt ad formam argumenti.


Dices: quantitas maior, & quantitas minor opponuntur tantùm relatiuè quatenus vna quantitas relata ad alteram minorem dicitur maior, per reſpectum verò ad maiorem dicitur minor.

Reſpondeo quód licet quantitas mathematicè ſpectata dicatur maior & minor relatiuè: attamen quantitas phyſicè conſiderata, prout eſt quantitas talis compoſiti, dicitur abſolutè minor ſi non ſit in ea perfectione quam connaturaliter requirit illa natura ad ſuas operationes exercendas; & maior ſi habeat illam perfectionem. Et hoc modo quantitas maior & minor ſub ratione & poſitiua terminatione minoris opponuntur contrariè, ſenſu etiam explicato, & ſunt termini à quo & ad quem motus augmentationis.

Obiicies 2. vbi non fit per ſe: ergo non eſt terminus per ſe motus. Probatur antecedens: quia reſultat ex circunſcriptione loci.

Reſpondeo negando antecedens: licet enim Vbi ad ſui acquiſitionem exigat locum extrinſecum tanquam conditionem, hoc tamen non impedit quominus fiat & acquiratur per ſe.

Ex dictis inferes triplex tantùm eſſe genus motuum ſucceſſiuorum: primus eſt motus ad quantitatem, qui dicitur augmentatio aut diminutio: ſecundus ad qualitatem, qui dicitur alteratio, intenſio & remiſſio: tertius eſt motus ad Vbi, qui dicitur latio ſeu motus localis.



SECTIO IV.

De Vnitate specifica motus.

DIco motum non desumere suam speciem seu vnitatem aut diuersitatem specificam à termino à quo, sed à termino ad quem. Procedit conclusio non de vnitate specifica propria & rigorosa, quæ nequit competere motui, cùm non sit ens completum & prædicamentale, sed impropria, reductiua, & aliquali.

Probatur: motus specificatur ab eo quod formaliter & per se primò respicit, non autem ab eo quod respicit tantùm materialiter & ratione alterius: atqui formaliter & per se primò respicit terminum ad quem, terminum verò à quo non nisi materialiter & ratione termini ad quem: ergo: probatur minor: motus enim nihil aliud est essentialiter quàm via seu tendentia & accessus ad terminum ad quem: ergo formaliter & per se primò illum respicit: quòd autem non respiciat per se primò terminum à quo, sed tantùm per accidens & ratione alterius, patet, quia non respicit ipsum nisi ratione termini ad quem tendit, cùm discessus à termino à quo sit solùm propter accessum ad terminum ad quem.

Obiicies: Si motus specificaretur à termino ad quem, non possent motus specie diuersi habere eundem terminum ad quem; atqui possunt: ergo. Probatur minor: nam intensio & remissio qui sunt motus diuersæ speciei, possunt habere eundem terminum, putà si vna aqua calida vt duo intendatur vsque ad quartum gradum caloris, & altera calida

vt sex remittatur vsque ad quartum etiam gradum: similiter dicendum de augmentatione & decretione, vt si quantitas palmaris augeatur & fiat bipalmaris, aut è contra, tripalmaris decrescat & diminuatur vsque ad bipalmarem: idem denique constat de motu sursum & motu deorsum, habebunt enim eundem terminum si vnum mobile ascendat à terra, vsque ad mediam aëris regionem, & aliud è contra à sphæra ignis descendat ad eandem regionem mediam. Cùm igitur illi motus sint diuersæ inter se speciei, & illa diuersitas nequeat peti in casibus propositis à diuersitate termini ad quem cùm sit idem, putà idem gradus quartus caloris, eadem quantitas bipalmaris, &c. desumetur à sola diuersitate terminorum à quibus.

Respondeo prænotando terminum ad quem duobus modis sumi posse: primò materialiter & in esse entis, qua ratione nihil aliud est quàm res illa quæ per motum acquiritur materialiter spectata: secundò formaliter & sub ratione termini, id est secundùm eam formalissimam rationem sub qua attingitur & acquiritur à mobili: & à termino ad quem sic formaliter considerato, & non materialiter, intendimus motum specificari. Ex quo.

Ad argumentum in forma distinguo maiorem: Non possent motus specie diuersi habere eundem terminum, formalem, concedo: materialem, nego: vnde dico intensionem & remissionem in casu proposito habere terminum eiusdem rationis materialiter formaliter tamen & in ratione termini diuersum: quod idem dico de aliis motibus in obiectione adductis: etenim terminus formalis motus intensionis in exemplo proposito est calor vt quatuor prout habet rationem maioris seu magis intensi, terminus vero formalis remissionis est calor vt quatuor, prout habet rationem minoris seu minùs intensi: similiter terminus formalis augmentationis in casu addicto est quantitas bipalmaris sub ratione maioris, terminus autem formalis diminutionis est quantitas bipalma-

tis ſub ratione minoris : & tandem terminus formalis motus ſurſum in illa ſuppoſitione eſt media regio aeris prout habet rationem loci ſuperioris ; eadem verò ſub ratione loci inferioris eſt terminus formalis motus deorſum.

Dices : quòd idem materialiter terminus ſit formaliter diuerſus in ratione termini ad quem, ſenſu explicato, id petitur ex connotatione diuerſorum terminorum à quibus : ergo diuerſitas ſpecifica motus petitur tandem à diuerſitate termini à quo. Antecedens videtur clarum in exemplis adductis : nam idem gradus caloris habet rationem maioris aut magis intenſi comparatione alterius minùs intenſi, & è conuerſo habet rationem minus intenſi comparatione gradus ſuperioris à quo incipit motus remiſſionis : & idem dic de aliis, eadem enim media aëris regio dicitur locus ſuperior comparatione termini à quo inferioris, & appellatur locus inferior per reſpectum ad terminum à quo ſuperiorem.

Reſpondeo conceſſo antecedente eiuſque probatione diſtinguo conſequentiam : Diuerſitas illa ſpecifica motus petitur à diuerſo termino à quo, formaliter nego : connotatiuè, ſeu tanquam ab aliquo connotato per terminum ad quem, qui eſt formale ſpecificatiuum, concedo.


Obiicies 2. Ad vnitatem vel diuerſitatem ſpecificam motus exigitur vnitas aut diuerſitas medij per quod fit, ſeu diſtantiæ quæ pertranſitur : ergo non ſumitur à ſolo termino ad quem. Probatur antecedens : nam denigratio alicuius ſubiecti, quæ fit medio colore rubro, videtur differre ſpeciem ab ea quæ procedit per colorem viridem : atqui ibi eſt idem terminus ad quem, nempe nigredo, & ſola diuerſitas medij : ergo ab hac, &c.

Reſpondeo concedendo requiri vnitatem vel diuerſitatem medij, inde tamen nequaquam inferri poſſe oppoſitum noſtræ concluſionis, quia medium formaliter vt tale non ponit in numero cum termino ad quem, atque adeò etiamſi motus ſumat ſuam

vnitatem aut diuersitatem à medio, non censetur per hoc sumere illam ab alio quàm à termino ad quem. Vnde dico huiusmodi motus denigrationis esse eiusdem planè speciei, quia medij illi colores, quamuis materialiter sint specie diuersi ab inuicem, formaliter tamen & in ratione medij ducentis ad nigredinem, qui est color extremus, sunt eiusdem rationis; quia vt sic sumuntur prout participant naturam illiùs extremi, cùm enim medium participet ex extremis (putà illi colores ex albedine & nigredine) dum comparatur ad alterum extremum sumitur vt participans de illo subindéque censetur esse eiusdem rationis cúm eo, & è conuerso quando ad aliud comparatur.

Instabis: motus localis, rectus & obliquus procedentes ab eodem termino à quo ad eundem terminum ad quem, sunt diuersæ speciei ob solam diuersitatem medij aut distantiæ directè seu per lineam rectam, vel obliquè & per lineam circularem ducentis ad locum.

Respondeo huiusmodi motus formaliter & per se loquendo non respicere eundem terminum ad quem; solus enim motus rectus per se tendit ad illum, obliquus verò per se tendit ad alium, & per accidens reuertitur ad terminum in quem desinit per se motus rectus: vnde negatur huiusmodi diuersitatem peti à sola diuersitate medij.





SECTIO V.

De vnitate numerica motus.

SIcut in præcedenti ita in hac ſectione ſermo eſt de motu ſecundùm ſuam rationem formalem præciſam ab ordine ad agens, & ad paſſum vt tale, ſeu ab actione & paſſione.

Dico : Ad vnitatem numericam motus tria indiſpenſabiliter requiruntur & ſufficiunt nempe vnitas numerica mobilis, vnitas numerica termini ad quem, & vnitas ſeu continuitas non interrupta temporis. Prima pars probatur : cum enim motus ſit actus quidam accidentalis, debet indiuiduari ab hoc numero ſubiecto, ſicut de aliis accidentibus alibi oſtendemus : ſubiectum autem motus eſt mobile : ergo vnitas illius numerica requiritur. Vnde fit quòd ſi canis, exempli gratia, decidat ab alta turri & in medio deſcenſus intereat, motus ſubſequens interitum non erit idem numero cum præcedenti, quia præcedens erat vnius ſubiecti, nempe viuentis, ſubſequens verò alterius, nempe cadaueris.

Dices : Motus poſterior in caſu propoſito erit idem numero cum priori, ſi ipſi continuetur ; motus enim non eſt vnus vnitate indiuiſibilitatis, ſed continuitatis ſucceſſiuæ : atqui ipſi continuatur, quandoquidem non interrumpitur : ergo.

Reſpondeo motum illum poſteriorem eſſe quidem immediatum priori & veluti contiguum ipſi, quia abſque media mora eum ſubſequitur, non tamen ipſi continuari propriè, cùm afficiat diuerſum ſubiectum. Et ad id quod additur, reſpondeo non interrumpi mora aliqua, vt dixi, aut quiete quæ ag-

pellatur priuatiua, quasi per aliquod tempus quiescat corpus illud in medio descensu; interrumpi tamen quiete negatiua quæ est in instanti occisionis illius canis, in quo momento verum est dicere, nunc non est motus canis, & immediatè anteà erat, & nunc non est motus cadaueris sed immediatè posteà erit.

Instabis: Continua sunt quorum vltima sunt vnum, id est, quorum extremæ partes copulantur vno communi termino: atqui extremæ partes motus canis & & motus cadaueris ipsius vniuntur eodem indiuisibili: ergo.

Respondeo id esse verum quando ille terminus communis afficit vtrumque: illud autem indiuisibile, cùm sit primum instans in quo est cadauer, spectat ad motum ipsius, quamuis extrinsecè terminet etiam motum præcedentem canis.

Secunda verò pars, quòd scilicet requiratur vnitas numerica termini ad quem, facilè suadetur: quia motus est idem entitatiuè cum termino, atque adeò si fuerint termini diuersi, erunt etiam diuersi motus: ergo requiritur vnitas termini numerica ad vnitatem numericam motus. Hoc autem ita intelligi debet vt requiratur vnitas termini vltimati, non autem intermedij, vnde quamuis motu locali acquirantur successiuè plura vbi tanquam termini intermedij, non tamen ad eorum multiplicationem multiplicatur numericè motus localis, dummodo acquirantur sine interruptione.


Tertia denique pars, requiri nempe vnitatem continuatam & non interruptam temporis, est euidens: quia si semel interrumpantur motus, & mobile quiescat, quantumuis per breuem morulam, non erit idem numero motus; quia scilicet discontinuabitur, illi enim motus sunt discontinui inter quos vel minima quies intercedit.

Aduerte tamen vnitatem temporis non desiderari nisi tanquam signum, non verò tanquam aliquid quod formaliter & à priori tribuat vnitatem motui,

sed quando est diuersitas temporis, indicium est diuersitatis motus, quod diligenter nota.

Quæres: An detur quies (priuatiua) in puncto reflexionis, id est, an lapis v.g. sursum proiectus aliquantulum quiescat inter instans terminatiuum motus sursum & instans initiatiuum motus deorsum.

Respondeo affirmatiuè, per se loquendò: quia inter illa duo instantia mediat pars temporis in qua lapis nec sursum nec deorsum fertur, subindéque quiescit: quamuis potest per accidens oppositum contingere, putà si exiguo lapidi sursum proiecto & ascendenti occurreret saxum ingens magno impetu descendens, tunc enim nullatenus quiesceret quiete priuatiua prior ille lapillus, aliàs dicendum esset ipsum in medio aëre sistere saxum illud, quod est absurdum: sed tunc idem esset instans extrinsecè terminatiuum motus sursum & inchoatiuum motus deorsum: in quo instanti posset dici ad summum quiescere negatiuè, sensu supra explicato: in vtroque verò casu esset diuersus motus, vt per se patet, præsertim cùm sit diuersus terminus ad quem, scilicet locus sursum & locus deorsum.



SECTIO VI.

De contrarietate motus.

DICO 1. Contrarietatem motuum desumi formaliter à contrarietate terminorum ad quos.

Probatur: Ab eo habent motus suam contrarietatem, à quo desumunt speciem: atqui desumunt suam speciem à terminis ad quos, vt vidimus: ergo. Probatur maior: quia oppositio rerum consequitur distinctionem specificam ipsarum: ergo ab eo desumitur oppositio contraria motuum, à quo distinctio

ſpecifica. Vnde ſicut quantitas maior opponitur contrariè (modo ſupra explicato) quantitati minori, vbi ſurſum vbicationi deorſum, & calor frigori; ita augmentatio contrariatur diminutioni, motus ſurſum motui deorſum, & calefactio frigefactioni.

Dico 2. Idem corpus poteſt ſimul moueri motibus contrariis ſecundùm diuerſas partes, vel etiam ſecundùm ſe totum ſi vnus ei conueniat per ſe, & alter per accidens, vel vterque per accidens.

Prima pars eſt euidens: poteſt enim eadem manus moueri motu calefactionis, & ſimul pes motu frigefactionis, manus ſurſum & pes deorſum.


Secunda etiam eſt clara: quia experientiâ videmus quòd dum nauta mouetur per accidens ad motum nauis verſus occaſum, exempli gratia, mouetur per ſe interdum verſus orientem propriis pedibus incedendo in naui, puta à prora ad puppim: & idem corpus Chriſti per accidens ratione diuerſarum formularum ſeu ſpecierum conſecratarum ſimul & ſemel mouetur ſurſum in vno altari, & in alio deorſum.

Dico tertiò: non poteſt idem mobile ſecundùm eandem partem ſimul moueri per ſe duobus motibus contrarii; etiam in gradibus remiſſis.

Probatur: Omnis enim frigefactio exempli gratia quantumuis remiſſa, eſt receſſus à calore, & calefactio eſt acceſſus ad calorem; ſimiliter motus ſurſum eſt aſcenſus ad locum ſuperiorem, motus verò deorſum eſt deſcenſus ab illo: atqui implicat, idem corpus ſecundùm eandem partem ſimul & ſemel accedere per ſe & ratione ſui ad vnum terminum, & ab illo recedere, aſcendere & deſcendere: ergo

Confirmatur: Quilibet motus quantumuis remiſſus importat priuationem alterius motus contrarij: calefactio enim v. g. ex propria ratione eſt receſſus ſubiecti à frigore, & acceſſus ad calorem: receſſus autem ſubiecti à frigore importat priuationem acceſſus ad huiuſmodi frigus, qui acceſſus eſt ipſa frigefactio, ſubindéque calefactio importat priuationem


frigefactionis pro eodem tempore.: ergo nequeunt esse simul. Vnde dato quod duæ qualitates contrariæ in gradu remisso possint esse simul, putà calor & frigus, id tamen omnino negandum est de motibus contrariis, quia vna huiusmodi qualitatum non est ex propria ratione abiectio alterius, seu non importat priuationem illius in gradu remisso saltem, secùs verò motus.



DISPVTATIO XII.

De tempore.

CVM tempus sit duratio motus & rei mobilis, ac veluti proprietas aut affectio illius, ideò postquam de motu egimus consequenter agendum est de tempore: sed priùs de duratione in communi, quæ se habet vt ratio generica respectu temporis, aliquid est prælibandum. Vnde sit.



SECTIO I.

Quid & quotuplex sit duratio & quomodo à re durante distinguatur.

DIco primò: Duratio est permanentia rei in esse (intellige, permanentia formalis.) Hæc conclusio patet ex terminis, ea enim dicimus durare quæ

permanent seu persistunt in esse. Notanter tamen addidi ly formalis, quia sicut distinguimus duplicem similitudinem e. g. alteram fundamentalem quæ est ipsamet qualitas, putà albedo, quatenus conuenit cum alia eiusdem rationis; alteram formalem, quæ est relatio accidentalis superaddita albedini: ita in qualibet re duplex considerari potest permanentia in esse, altera fundamentalis, quæ est ipsamet res vt continuò conseruata à Deo; altera formalis, quæ (loquendo de rebus creatis) est aliquod accidens rei existenti & conseruatæ superadditum, vt postea ostendemus: & in hac formali persistentia in esse dicimus consistere quidditatem durationis.

Dico secundò durationem vt sic, prout est formalis permanentia rei in esse, rectè diuidi in æternitatem, æuum, & tempus. Explicantur membra huius diuisionis.

Æternitas est duratio rei ex omni parte immutabilis, nempe Dei, seu diuini esse: quamuis si latiùs sumatur æternitas soleat diuidi à nonnullis Theologis in æternitatem per essentiam; quæ est illa quam iam definiuimus, & in æternitatem participatam quam dicunt esse durationem visionis beatificæ hominum & Angelorum.

Æuum est duratio rei immutabilis secundum substantiam, mutabilis verò quoad accidentia quales sunt Angeli & cœli, vtrique enim sunt immutabiles & incorruptibiles quantùm ad substantiam, variabiles tamen quoad aliqua accidentia, Angeli quidem quoad operationes liberas quas successiuè eliciunt, cœli verò quoad motum.

Tempus denique est duratio rei omnino variabilis tam quoad substantiam quàm quoad accidentia, qualia sunt omnia entia corruptibilia, siue sint substantiæ, siue accidentia. Quæ definitiones ita debent intelligi, vt duratio cuiuslibet rei, siue substantiæ siue accidentis, secundùm suam entitatem immutabilis, habentis tamen annexam mutationem aliorum, sit æuum, & ideò non solùm substantia Angeli, & cœ-

li mensuratur æuo, sed etiam omne accidens incorruptibile, qualis est in Angelo cognitio sui ipsius quæ est indefectibilis. Vnde habes æuum aliud esse materiale, aliud spirituale, juxta conditionem subiecti cujus est duratio: æuum enim cœli est materiale Angeli verò spirituale: similiter duratio cuiusliibet rei, siue substantiæ siue accidentis, omnino transmutabilis dicitur tempus, maximè verò duratio ipsius motus qui est ipsamet transmutatio actualis. Vnde etiam tempus aliud est materiale, illud nimirum quod est duratio rei materialis omnino transmutabilis; aliud spirituale quod est duratio rei spiritualis variabilis, qualis est duratio operationum liberarum Angeli.

Dico 5. Durationem propriam & intrinsecam cuiuslibet rei creatæ distingui formaliter ante omnem mentis operationem ab ipsa re durante & existente. Est contra Suarem dicentem distingui sola ratione ratiocinata. Dixi, rei creatæ, quia suppono æternitatem, quæ est duratio Dei, non distingui vllo modo realiter ab ipso, sed tantum virtualiter, seu ratione ratiocinata: in diuinis enim, vt habet axioma Theologicum, nulla est realis distinctio nisi quam facit relatiua oppositio, quæ est inter personas tantum: alias enim Deus non esset simplicissimus sed compositus, si in sua natura aut attributis, ex quibus est æternitas, distinctionem realem admitteret.

Probatur: Omne accidens aut propria passio realiter dimanans ab aliquo subiecto, distinguitur ante omnem mentis operationem ab illo: sed duratio intrinseca cuiuslibet rei creatæ est propria passio ipsius ab ea realiter dimanans: ergo: Maior est euidens, idem enim non dimanat aut dependet realiter à seipso. Minor verò suadetur efficaciter: extensio enim cuiuslibet rei est propria ipsius passio ab ea realiter profluens, vt patet de quantitate respectu corporis: atqui duratio est extensio rei seu existentiæ ipsius in rerum natura, vel formalis, si loquamur de duratione formaliter diuisibili & successiua, quale est tem-

pus; vel virtualis, si de æuo, quod non formaliter, sed virtualiter tantum est successiuum aut diuisibile, quatenus scilicet diuersis nostri temporis partibus idem & indiuisibile ex parte sui manens correspondet & æquiualet: ergo. Et hæc ratio conuincit de omnibus, etiam de tempore respectu motus.

Probatur 2. Specialiter quoad durationem aliarum rerum creatarum à motu, sic: Quod aduenit rei existenti, distinguitur ante omnem mentis operationem ab illa: atqui duratio aduenit rei existenti: ergo. Maior est euidens: quod enim aduènit alicui, præsupponit illud existens: ergo distinguitur realiter ab illo. Minor verò non videtur minùs clara; nihil enim potest durare aut permanere in esse nisi præsupponatur habere esse seu existere.

Confirmatur: Homo v. g. in instanti suæ productionis est verè & realiter existens, & tamen nondum habet suam propriam durationem quæ est tempus: ergo duratio præsupponit realiter rem existentem.

Dices durationem nihil aliud esse quàm existentiam, non quidem absolutè & præcisè sumptam sed continuatam.


Sed contra: quia vel illa continuatio addit aliquid supra existentiam, saltem modum aliquem accidentalem, vel nihil: si primum, habemus intentum quòd nimirùm duratio sit aliquis saltem modus realiter superadditus rei existenti & existentiæ: secundum verò dici non potest, alias in primo instanti suæ productionis res haberet existentiæ continuationem, cùm ipsam habeat existentiam, quod est ridiculum.

Obiicies: Duratio nihil aliud est quàm persistentia rei in esse: sed huiusmodi persistentia non distinguitur à re seu ab existentia illius: ergo nec duratio. Probatur minor: ideò enim creatio & conseruatio rei sunt eadem actio, quia est idem vtriusque terminus: sed terminus creationis est esse rei, terminus verò conseruationis est continuatio seu permanentia illius esse: ergo huiusmodi permanentia non distinguitur ab ipso esse.

Respondeo ex dictis initio sectionis, distinguendo maiorem: Duratio est permanentia rei in esse, formalis, concedo: fundamentalis, nego, & hanc concedimus non distingui, secus illam. Vnde ad probationem minoris dico terminum actionis conseruatiuæ esse permanentiam seu continuationem rei in esse, fundamentaliter sumptam, atque adeò esse eundem cum termino creationis, est enim ipsamet res quæ conseruatur, ex qua sic conseruata dimanat ipsa formalis duratio seu formalis permanentia in esse veluti quædam affectio aut proprietas. Ex quibus facilè respondere potes in forma.

Instabis circumscripto omni accidenti aut formalitate vel modo distincto à re existente, & conseruata intelligitur adhuc durare res illa: ergo duratio non est aliquid distinctum,

Respondeo sicut aliàs responsum est ad simile argumentum de relatione, distinguendo antecedens ex dictis: intelligitur durare, duratione materialiter sumpta quæ est ipsamet res conseruata prout nata est mensurari per durationem, concedo: duratione formali, quæ est ipsum mensurari rei conseruatæ, nego.



SECTIO II.

Quid & quotuplex sit tempus.

Dico 1. Tempus vt sic est duratio rei secundum suam substantiam seu entitatem mutabilis: siue, est duratio rei in transmutatione consistentis.

Declaratur: Dicitur duratio, in quo conuenit tempus cum æternitate & æuo. Additur, rei secundùm suam entitatem transmutabilis, in quo differt ab illis, vt ex sectione præcedenti sufficienter manet ex-

plicatum: æternitas enim eſt duratio rei omninò immutabilis; æuum verò, rei immutabilis quoad ſuam entitatem, mutabilis autem quoad annexa: at tempus eſt duratio rei ſecundum ſuam etiam entitatem mutabilis, ſiue res illa ſit ipſamet formalis tranſmutatio aut motus, ſiue id quod huiuſmodi tranſmutationi aut motui ſubeſt. Ex quo intelliges tritam illam temporis definitionem, quâ dicitur Numerus motus ſecundùm prius & poſterius: per illam enim non definitur tempus vt ſic, ſed aliqua veluti eius ſpecies, ſcilicet tempus intrinſecum motus: & ſenſus eſt tempus illud eſſe numerum, id eſt durationem ſeu menſuram motus ſecundùm partes priores & poſteriores ipſius: ſumitur enim ibi numerus pro menſura, eo quod ſit notior quoad nos ad menſurandum, vnde etiam communiter ſolemus menſurare res continuas per numerum, vt cùm dicimus pannum habere decem vlnas. Vnde.

Habes tempus conſtare partibus prioribus & poſterioribus per inſtantia copulatis, ſiue ſumatur pro duratione ipſius motus, qui habet partes priores & poſteriores, ſubindéque propria ipſius duratio debet etiam eas habere, vt poſſit ipſi coextendi: ſiue pro duratione cuiuſcumque alterius rei ſecundum ſuam entitatem mutabilis, quæ licet materialiter ſpectata conſiſtat in continuo fluxu partium præcedentium & ſubſequentium, cùm ſit res permanens, bene tamen formaliter, quatenus continuas ſubit mutationes & paulatim dilabitur; atque adeò tempus ipſi intrinſecum debet etiam includere ſucceſſionem, ſeu conſiſtere in continuo fluxu partium priorum & poſteriorum. Ex quibus.

Inferes inſuper neque Deum, neque Angelos, nec animas ſeparatas, nec cœlos quoad ſuum eſſe ſubſtantiale menſurari tempore, ſed æternitate aut æuo: quia non conſiſtunt in mutatione, ſed ſunt immutabilia quoad eſſe ſaltem: vnde dicuntur entia æterna vt Deus, aut æuiterna vt angeli, &c. Cæteræ verò res ſecundum ſuum eſſe tranſmutabiles aut corrupti-

biles dicuntur temporaneæ, qui ſubiacent tempori & ab eo menſurantur.

Dico 2. Tempus conſideratum ſecundum ſuam eſſentiam eſſe numero multiplex pro multiplicitate rerum temporalium, ſiue motuum, ſiue ſubſtantiarum, ſiue accidentium, quæ ſecundum ſuas entitates, variantur. Eſt contra nonnullos, qui cenſent vnicum dumtaxat dari tempus nempe durationem motus primi mobilis.

Probatur tamen: quia tempus eſt duratio rei ſecundum ſuam entitatem mutabilis à qua non niſi modaliter ad ſummum diſtinguitur: ergo multiplicatur ad multiplicationem huiuſmodi rerum mutabilium quandoquidem eſt entitatiuè idem cum ipſis.

Confirmatur: quia ſi Deus deſtrueret primum mobile & per conſequens motum & durationem eius, nihilominus res corporeæ & mutabiles poſſent abſolutè conſeruari in eſſe & durare: ergo præter durationem primi motus debent habere proprias durationes & intrinſecas, atque adeò multiplicabitur tempus intrinſecum cuiuſlibet rei pro multiplicatione ſubiecti in quo eſt.


Dico tertiò: Tempus ſumptum in ratione menſuræ communis & extrinſecæ rerum omnium temporalium eſt vnicum numero, nempe tempus circulationis primi mobilis, quod illi quidem motui circulari eſt intrinſecum, extrinſecum verò aliis.

Probatur conclusio: quia tempus illud eſt omnium maximè regulare & vniforme ac notius aliis, quæ ſunt conditiones requiſitæ ad rationem menſuræ aliorum: ergo illud eſt omnium aliarum durationum temporalium menſura vniuerſalis homogenea ſeu eiuſdem naturæ cum illis, quod addo ad differentiam æternitatis, quæ eſt prima & vniuerſaliſſima omnium inferiorum durationum menſura, ſed heterogenea & alterius rationis.

Quod ſi per durationem aliquorum motuum menſurentur à nobis actiones aliæ aut motus, putà lectio, labor, aut ipſa etiam dies & tempus primi mobilis

bilis per durationem fluxus clepsydræ vel motus horologij; hoc est solum per accidens & quoad nos, non enim illi durationi per se primò conuenit esse aliorum mensuram: sed soli durationi primi motus, quia primum in vnoquoque genere est mensura cæterorum, mensura in quam secundum se, quia secundum se est quid notius, licet quoad nos possit esse notior duratio alicuius motus inferioris.

Maneat ergo tempus secundum suam quidem essentiam consideratum esse multiplex, cùm sit duratio intrinseca cuiuslibet motus aut rei mutabilis: in ratione tamen mensuræ communis vnicum esse hoc est tempus circulationis primi mobilis, quod efficit diem naturalem, & continuò replicatum efficit hebdomadas, menses, annos & sæcula, & ideo illud solum appellatur per antonomasiam tempus.



SECTIO III.

An tempus sit præsens ratione partis vel instantis.

PRo intelligentia difficultatis aduerte ex infra dicendis & probandis continuum non componi ex solis indiuisibilibus, sed ex partibus, per indiuisibilia copulatis: vnde & definitur, id cuius partes indiuisibilibus tanquam terminis communibus vniuntur. Est autem duplex; aliud permanens, aliud successiuum. Continuum permanens est illud cuius partes simul existunt aut existere possunt, cuiusmodi sunt linea, superficies, & corpus. Successiuum verò est illud cuius partes non sunt simul, sed continuò fluunt vnà alteri succedente, & huius generis sunt motus cuius partes priores & posteriores copulantur

per indiuiſibilia; quæ dicuntur mutata eſſe; & tempus: cuius ſimiliter partes ſibi continuò ſuccedentes vniuntur inſtantibus.

Difficultas igitur eſt an tempus (& eadem procedit quæſtio de motu) ſit præſens beneficio alicuius partis diuiſibilis, vel ſolùm ratione inſtantis, ita vt illud quod de tempore habemus præſens ſit momentum dumtaxat. Pro reſolutione.

Dico 1. tempus non eſſe præſens ratione alicuius partis determinatæ, ſeu non dari certam aliquam & deſignabilem partem temporis quæ ratione ſui ſit præſens quantumuis exigua deſignari queat.

Probatur: nullum ſucceſſiuum poteſt exiſtere ſecundum aliquam ſui partem determinatam quantumuis breuem & imperceptibilem, tempus eſt ens ſucceſſiuum ergo. Antecedens probatur: ſi ens ſucceſſiuum exiſteret ſecundum aliquam partem determinatam quæ eſſet præſens ratione ſui, ſequeretur quòd multæ partes illius entis ſucceſſiui eſſent ſimul: conſequens eſt contra naturam entis ſucceſſiui prout à permanenti diſtinguitur: ergo. Probatur ſequela maioris: non poteſt aliquid eſſe præſens ratione ſui niſi ſimul ſint ea ex quibus componitur: atqui quælibet determinata pars continui quantumuis exigua, componitur ex aliis partibus & mediatibus in quas diuiſibilis eſt, hæc ſiquidem eſt natura continui vt infrà videbimus quod ſit diuiſibile in ſemper diuiſibilia: ergo ſi daretur aliqua pars determinata, licet breuiſſima quæ foret præſens ratione ſui, darentur ſimul plures. Ex quibus inferendo.

Dico 2. tempus non exiſtere aut eſſe præſens per aliquid ſui quod deſignari queat niſi inſtans. Hæc concluſio eſt conformis communi ſenſui omnium philoſophorum vnanimiter dicentium, nos è tempore nihil (ſupple, deſignabile) habere niſi inſtans: & ſequitur euidenter ex præcedenti, cùm enim tempus exiſtat & ſit præſens per aliquid ſui quod deſignari poteſt, & illud non ſit pars, vt probauimus, debet neceſſariò eſſe inſtans reale.

Obiicies : In tempore datur pars præterita & futura : ergo etiam dari debet præsens. Consequentia probatur, nihil enim præteritum aut futurum est quod non fuerit vel debeat esse præsens.

Confirmatur : vel post instans præsens sequitur immediatè aliud instans, vel pars temporis : non primum, aliàs instantia essent sibi immediata, sicque tempus constaret solis indiuisibilibus, contra inferiùs dicenda : ergo secundùm : sed pars illa sequens immediatè post instans fit præsens, non ratione instantis cùm tunc iam non sit ergo ratione sui.

Respondeo : Quòd quamuis tempus non existat per aliquam partem determinatam quæ sit præsens ratione sui & secundum se totam, nihilque determinatum assignari possit in tempore præsens ratione sui nisi instans vt ostensum est ; attamen existit etiam & est præsens ratione partis indeterminatæ, id est, minoris & minoris in infinitum, vnde post quodlibet instans immediatè sequitur & fit præsens ratione sui aliqua pars incertæ extensionis, id est, non ita exigua quin minor. Et hoc solum probant obiectiones, quibus proinde satisfactum manet : sed.

Instabis : Hæc responsio videtur repugnare primæ conclusioni : nam potest retorqueri totum argumentum ibi factum : si quidem si detur aliqua pars etiam indeterminata quæ sit præsens ratione sui, dabuntur simul plures partes & medietates illius quod repugnat enti successiuo.


Respondeò negando pugnare vllomodò cum dictis aut argumentum posse retorqueri : vnde ad id quod subditur nego sequelam aut potiùs suppositum, quod scilicet pars indeterminata, id est minor & minor in infinitum sub ea ratione habeat partes aut medietates, cum dicatur indeterminata quatenus nec est tota aliqua pars quæ determinatè sequatur post instans, nec medietas illius tota, nec medietas medietatis, & sic consequenter, sed aliquid minus & minus in infinitum, quod immediatè succedit in-


ſtanti : & ſecundum id quo immediatè illud veluti contingit, ſumitur vt quid formaliter indiuiſibile : in quo ſenſu verè dicitur tempus exiſtere tantum per indiuiſibilia, nempe per inſtans, & per partem indeterminatam, quæ formaliter vt talis eſt indiuiſibilis.

Dices : illud quod immediatè ſequitur poſt inſtans determinatum poteſt deſignari : ergo cum ſequatur pars illa, poterit deſignari ; & ſic tempus erit præſens per partem etiam deſignabilem & determinatam.

Reſpondeo negando antecedens : nam quodcumque determinetur poſt inſtans, non ſuccedit illi immediatè ſecundum ſe totum, nec ſecundum ſui medietatem totam, nec ſecundum totam medietatem illius medietatis, ſed ſecundum aliquid indeterminatum minus & minus in infinitum.

Ex his ergo omnibus habes id quod de tempore eſt præſens ratione ſui, eſſe vel inſtans, vel partem aliquam indeterminatam (quæ vt dixi eſt ſub illa formalitate indiuiſibilis :) non dari vero partem determinatam, quantumuis exigua deſignari queat, quæ ſit præſens aut exiſtens ratione ſui totius, ſed vel ratione inſtantis, vel ratione partis ſui indeterminatæ, id eſt minoris & minoris in infinitum.






DISPVTATIO XIII.

De continuo.

CVM motus & tempus ſint de genere continuorum, vt eorum natura omnino explicetur, agendum eſt hìc de continuo in communi, ſeu de quantitate continua quæ ſe habet vt genus reſpectu lineæ, ſuperficiei, corporis, motus, & temporis, ſenſu in logica explicato.



SECTIO I.

An continuum conſtet ſolis indiuiſibilibus.

PRo reſolutione difficultatis aduerte quod iam ſæpiùs diximus continuum quintuplex eſſe, nempe lineam, quæ ex propria ratione eſt extenſa ſeu diuiſibilis in longum, ſuperficiem in latum, corpus in profundum, motum in partes priores & poſteriores acquiſitionis termini, & tempus pariter in partes menſurantes priores & poſteriores motus. Iuxta quintuplex genus continui, aſſignatur quintuplex genus indiuiſibilium, quorum primum eſt punctum quod omni caret extenſione & diuiſibilitate: ſecundum,

linea quæ est indiuisibilis in latum: tertium superficies quæ est in extensa in profundum: quartum, mutatum esse quod est indiuisibile in prius & posterius: quintum, instans quod non diuiditur realiter in ante & post sicut tempus, sed est totum simul. His positis.

Dico 1. Continuum non componi ex solis indiuisibilibus.

Probatur: Omne continuum debet necessariò coalescere ex his ex his ex quibus nata est resultare propria ipsius extensio, cùm eam aliunde non habeat: atqui extensio propria cuiuslibet continui nequit resultare ex solis indiuisibilibus: ergo non constat illis solis. Probatur minor, primò ratione generali sic: Ex his quæ carent extensione non potest resultare seu coalescere extensio, non enim resultat extensio ex partibus, nisi quatenus illæ suam entitatem & extensionem quâ pollent, ipsi toti communicant: atqui indiuisibilia carens extensione, cum indiuisibile & inextensum idem sint: ergo ex illis nequit resultare extensio continui, subindéque ipsa sola non sunt partes componentes illud. Secundò specialiter: nam longitudo, quæ est própria lineæ extensio, non potest resultare ex solis punctis etiam infinitis (vt per hoc via præcludatur solutioni aduersariorum) nec latitudo seu superficies ex solis lineis, nec profundum ex superficiebus duntaxat, nec denique motus & tempus ex solis mutatis esse aut instantibus, quantumuis hæc indiuisibilia multiplicentur in infinitum: ergo propria extensio cuiuslibet continui nequit coalescere ex solis indiuisibilibus. Probatur antecedens. Implicat extensionem aliquam seu magnitudinem resultare ex iis quantum libet coaceruatis & multiplicatis, quæ nec vel minimum quidem participant aut secum afferunt talis magnitudinis aut extensionis, imò meram illius carentiam important: atqui punctum nullam prorsus secum affert longitudinem, aliàs non esset omninò inextensum & indiuisibile: nec linea vllam latitudi-

nem, cum essentialiter sit inextensa in latum; nec superficies aliquid vel minimum affert profunditatis, cum ex propria ratione sit indiuisibilis in profundum; nec denique mutatum esse aut instans important successionem vllam, seu prius & posterius, cum sint tota simul: ergo nec linea ex solis punctis etiam infinitis, nec superficies ex, &c.

Confirmatur & explicatur hæc ratio: Partes continuum componentes tales debent esse vt vna addita alteri faciat maius in extensione, nam per solam additionem partium crescit & magis extenditur continuum: atqui indiuisibile, additum indiuisibili non facit maius in extensione continua, de qua sola loquimur, licet possit dici facere maius in extensione veluti discreta seu (vt magis propriè loquar) plus, de quo infrà: ergo sola indiuisibilia non sunt partes continuum componentes. Probatur minor: Quod secundùm se totum tangit aliud & eidem spatio correspondet, non facit maius quàm illud solùm: atqui vnum indiuisibile, si sit immediatum alteri, (vt foret si ex solis indiuisibilibus continuum fieret) secundùm se totum afficit & quasi tangit aliud eidemque correspondet spatio in quo alterum est, ita vt vbi est vnum vbi sit aliud: ergo vnum indiuisibile additum alteri non facit maius. Probatur minor: vel enim indiuisibile quod alteri coniungitur, afficit illud secundùm se totum, vel secundùm vnam sui medietatem duntaxat: hoc secundum est impossibile, cum careat partibus: ergo. Secundum se tot afficit & tangit aliud, subindéque eidem omnino indiuisibili spatio correspondet, hoc enim est duo occupare vnum & eundem locum se se inuicem secundum se tota tangere, vnde in hoc consistit penetratio duorum corporum quod vnum ita subingrediatur aliud vt secundum omnes partes se se mutuò tangant. Vnde relinquitur punctum additum puncto non facere longius, superficiem additam superficiei non facere profundius, quia sub ea ratione sunt indiuisibiles.

Probatur 2. Ab inconuenienti: Si continuum con-

ftet solis indiuisibilibus sequitur illud non posse diuidi in medietates æquales, ponamus enim lineam, exempli gratia, ex septem punctis constitui, si posset diuidi in duas medietates, vel in vna medietate essent tria puncta, & in alia quatuor, & sic non esset diuisa in partes æquales, cum plura essent puncta in vna parte quàm in altera; vel in vtraque essent tantum tria puncta & media pars vnius puncti, vt sic staret æqualitas in vtraque parte, quod fieri repugnat, aliàs indiuisibile diuideretur. Idem argumentum fieri potest de qualibet aliâ specie continui, putà de superficie quæ non posset diuidi in latum per medietates æquales si constaret septem lineis. E. G, nec corpus si septem superficiebus, nec tempus si septem instantibus, &c. Vnde inferendo.

Dico secundò omne continuum componi ex partibus continuis & diuisibilibus, nempe lineam ex partialibus lineis, superficiem ex partialibus superficiebus, corpus ex corporibus, seu ex partibus trinam dimensionem habentibus, motum ex partialibus durationibus successiuis. Hæc conclusio sequitur euidenter ex præcedenti: cum enim ad oculum constet continuum esse quid diuisibile, subindéque compositum ex his in quæ diuidi potest, & probatum sit illud non componi ex indiuisibilibus, debet necessariò coalescere ex diuisibilibus. Quod iterum

Confirmatur: quia continuum constat partibus quæ in infinitum diuidi possunt, vt enim ait Aristoteles, continuum est diuisibile in semper diuisibilia: atqui nisi constaret partibus diuisibilibus, non esset diuisibile in semper diuisibilia, cùm enim diuideretur tandem in puncta tanquam in partes, puncta illa non essent vlterius diuisibilia: ergo componitur ex partibus diuisibilibus.

Obiicies: Vnitas addita vnitati, licet sit indiuisibilis, facit numerum qui est vera species quantitatis: ergo etiam punctum, tametsi secundum se inextensum, aliis additum efficiet aliquam extensionem.

Confirmatur: quia instans additum tempori reddit ipsum longius, magis enim videretur durare res illa quæ esset in tota hora & in instanti terminatiuo illius, quàm ea quæ in vltimo instanti per primum sui non esse desineret: ergo.

Respondeo concesso antecedente negando consequentiam & paritatem. Ratio discriminis est: quia extensio quantitatis discretæ non est extensio magnitudinis, sed pluralitatis; vnde quia indiuisibilia possunt facere plus, non tamen maius, ideò possunt efficere quantitatem discretam, non verò continuam.

Ad confirmationem nego instans additum tempori reddere ipsum longius, cùm instans nullius sit extensionis & magnitudinis. Ad probationem distinguo: Magis duraret quoad aliquam durationis extensionem, nego, instans enim nihil extensionis aut longitudinis addit: quoad durationis terminationem indiuisibilem, concedo: ex quo non sequitur instans additum tempori efficere ipsum longius: sed tantum terminare illud.

Obiicies secundò: Si vnum indiuisibile additum alteri non faceret maius, ideò esset quia tangeret illud secùndum se totum, eidemque spatio correspponderet quasi ipsum penetrans: atqui hoc est falsum: ergo. Probatur minor: Indiuisibilia iuxta se posita non tangunt se se secundùm se tota nec se se penetrant si ipsa potiùs resistant penetrationi aliorum, seu impediant quo minus alia se se inuicem penetrent: atqui suo indiuisibilia, v. g. superficies vltimæ duorum corporum resistunt penetrationi ipsorum, seu efficiunt vt illa non tangant se se secundùm se tota, sed tantùm secundùm extrema: ergo multò minus superficies se se contingent secundùm se totas, aliàs essent in eodem loco.

Confirmatur: quia iuxta sententiam nostram punctum debet necessariò inhærere alicui parti quàm terminat vel cum alia vnit, & tamen non penetratur cum illa: ergo à fortiori non penetraretur cum altero puncto si immediatum illi esset.

Ad argumentum respondeo negando minorem. Ad probationem nego maiorem: indiuisibilia enim in tantum impediunt ne partes aut corpora se se penetrent, inquantum sunt extrema ipsorum, ideoque faciunt vt illa se se tangant secundùm extrema tantùm, at hoc ipso quòd extrema se se tangunt, cùm careant partibus, nequeunt se tangere nisi secundùm se tota, subindéque eidem spatio correspondent.

Ad confirmationem concesso antecedente, nego consequentiam & paritatem: punctum enim si tangatur ab alio, debet necessariò tangi secundùm se totum, cùm partes non habeat; è contra verò pars, cùm constet partibus, tangi potest inadæquatè in aliqua sui parte minori & minori in infinitum, quod est tangi in parte indeterminata.

Obiicies tertiò: Continuum constat solis indiuisibilibus, si indiuisibilia sint immediata in ipso: atqui sunt: ergo. Probatur minor: si corpus perfectè sphæricum moueretur motu continuò suprà corpus perfectè planum, tangeret ipsum continuè & absque interruptione: non in partibus diuisibilibus: ergo in solis indiuisibilibus, quæ subindè sunt continua & immediata: Probatur minor: Corpus perfectè sphæcum non tangit planum nisi per punctum: ergo non tangit ipsum nisi in punctis. Antecedens est certum: quia quanto magis globus est rotundus, tanto per aliquid minus tangit planum: ergo globus perfectissimè rotundus non tangit planum nisi per aliquid sui minimum, quod est indiuisibile. Consequentia verò probatur: quia tangens & tactum debent adæquari in eo in quo sese tangunt: ergo si id quod tangit est punctum & indiuisibile, id etiam quod tangitur debet esse indiuisibile.

Respondeo negando minorem. Ad probationem negant aliqui maiorem, & dicunt globum perfectè rotundum non tacturum planum continuè, sed discretè in punctis per saltus imperceptibiles. Nihilominùs, data maiore, respondeo corpus illud perfectè rotundum motum suprà planum tacturum ipsum & in

punctis & in partibus non quidem determinatis, sed indeterminatis minoribus & minoribus in infinitum. Ad probationem minoris, concesso antecedente eiusque probatione, distinguo consequens : Non tangit planum nisi in punctis, determinatè concedo : indeterminatè , nego : id est, non tangit aliquam partem determinatam secundum se totam , nec secundum totam ipsius medietatem, sed tangit ipsam successiuè secundum aliquid indeterminatum minus & minus in infinitum , quod est tangere partes indeterminatas : omne verò determinatum seu designabile quod tangit, est solùm indiuisibile. Ad probationem consequentiæ, respondeo vtramque propositionem enthymematis illius esse veram de tangente & tacto determinato, non verò indeterminato ; globus autem ille percurrendo planum non solùm tangit aliquid determinatum , sed etiam indeterminatum , nempe partes minores & minores quæ appellantur proportionales, vt statim dicemus.

Obiicies quartò : Continuum potest in omnem suam partem diuidi : ergo componitur ex solis indiuisibilibus. Consequentia est euidens : si enim continuum esset in omnes suas partes diuisum illæ partes non essent vlterius diuisibiles. Antecedens verò probatur : quia Deus cognoscit clarè omnes partes continui & partium particulas : ergo non potest per suam potentiam absolutam omnes à se inuicem separare.

Confirmatur : quia vel partes continui sunt finitæ, vel infinitæ : si primum , poterit per diuisionem deueniri tandem ad vltimam quæ vlterius diuidi nequeat & sic continuum solis indiuisibilibus constabit : secundum verò non videtur posse dici, tùm quia daretur infinita magnitudo ex infinitis partibus consurgens; tùm quia etiam daretur saltem infinita multitudo actu, quod vtrumque infinitum infra reiiciemus. Vt his obiectionibus satisfiat.

Aduerte partes continui , vt iam in superioribus innuimus, alias esse determinatas quæ dicuntur ali-

quotæ, aliàs indeterminatas quæ appellantur proportionales. Partes determinatæ dicuntur illæ quæ sunt certæ & determinatæ extensionis, siue magnæ siue paruæ, quæ aliquoties repetitæ adæquant aut exhauriunt, totum, vt palmi respectu vlnæ quam octies repetiti exhauriunt, guttæ comparatione aquæ vel maris quod demum detractione illarum exhauriri posset cum sit finitum quid; & hac de causa huiusmodi partes dicuntur aliquotæ. Partes verò indeterminatæ sunt medietates continui & medietatum medietates in infinitum sub præcisa ratione medietatum, abstrahendo à tali vel tali magnitudine aut paruitate; & propterea dicuntur proportionales, quia scilicet non habent certam & determinatam extensionem aut paruitatem, sed indeterminatam, proportionatam ei cuius sunt proximæ medietates. Hoc posito.

Ad obiectionem distinguo antecedens: Potest diuidi in omnem suam partem, determinatam seu aliquotam, concedo: indeterminatam & proportionalem, nego: qualibet enim facta diuisione possunt vlterius diuidi partes in suas medietates, & medietates illæ in alias, & sic in infinitum; continuum enim est diuisibile in semper diuisibilia. Ad probationem antecedentis respondeo quòd licet Deus videat omnes partes continui, imò & omnia eius puncta clarè & distinctè, tamen quia non videt aliquam ibi esse vltimam, cum nulla sit quæ facta quacumque diuisione non sit vlterius in infinitum diuisibilis, ideò non potest diuidere continuum in omnes partes proportionales simul & collectiuè, sed tantùm successiuè & diuisiuè, ita vt facta qualibet diuisione possit efficere alias & alias in infinitum.

Ad confirmationes respondeo partes aliquotas esse finitas, ita vt quæcumque determinata pars quantumuis exigua assignetur, continuum constet partibus finitis illi æqualibus, vnde poterit deueniri ad vltimam; ex quo nihil sequitur contra nos, quia licet illa non sit vlterius diuisibilis in partes aliquotas

eiusdem magnitudinis cum ipsâ, est tamen in infinitum diuisibilis in medietates & medietatum medietates, seu in partes proportionales quas concedimus esse infinitas in continuò. Nec tamen inde sequitur magnitudinem eius fore infinitam, sicut esset si constaret partibus infinitis aliquoties. Ratio disparitatis est, quia partes aliquotæ non includuntur in aliis cum quibus numerantur, & ideò quantò plures sunt eiusdem extensionis, tantò maiorem efficiunt extensionis, tantò maiorem efficiunt extensionem in toto, atque adeò infinitam si infinitæ forent: partes verò proportionales, cum nihil aliud sint quàm medietates totius, & harum medietarum meditates, includuntur aliæ in aliis, quibus proinde nihil addunt, quanquantuis multiplicentur in infinitum, atque adeò non efficiunt maiorem extensionem: neque enim ex eo quòd vlna diuidatur in plures & plures in infinitum medietates, propterea crescit eius quantitas, quia scilicet medietates minores includuntur in maioribus, & hæ similiter in aliis maioribus, & maiores in toto. Nec similiter sequitur fore infinitam actu multitudinem, simpliciter loquendo, sed tantùm secundùm quid. Ratio est, quia partes continui non efficiunt multitudinem simpliciter & in ratione entium, ad hoc enim requireretur quòd essent actu à se inuicem separatæ, & haberent proprias & distinctas existentias; sed solùm in ratione partium, quatenus ex vno capite actu ab inuicem distinguntur, cuius signum euidens est mutua separabilitas; ex alio verò, actu vniuntur ad constituendum totum, existuntque per vnam & eamdem illius existentiam; vnde sunt simpliciter vnum ens, & non multa simpliciter sed tantum secundum quid, scilicet in ratione partium: atque adeò cum non efficiant simpliciter multitudinem, consequens est vt non efficiant numerum actu infinitum nisi secundum quid & cum addito, scilicet in ratione partinm.

Instabis: possunt separari: ergo efficere multitudinem simpliciter, atque adeò simpliciter infinitam.

Respondeo non posse separari omnes partes proportionales simul & collectiuè, ita vt omnes existant actu separatæ à parte rei, id enim implicat, cum qualibet separatione in partes quantumlibet exiguas & imperceptibiles factâ, illæ sint vlterius sine fine diuisibiles; sed solum successiuè & diuisiuè, quod nihil aliud est nisi quòd quælibet pars designabilis potest ab alia separari. Vnde partes actu diuisæ & separatæ semper erunt finitæ.

Obiicies & instabis vltimò: Si in continuo dentur partes proportionales actu infinitæ, sequitur granum tritici tot habere partes proportionales, quot cælum empyreum: hoc videretur absurdum: ergo, &c. Sequela probatur: quia tam granum tritici quàm quælibet eius pars, cùm sit continua, constaret partibus infinities infinitis, & non videntur esse imaginabiles plures partes quàm infinities infinitæ: ergo, &c. Quòd verò illud consequens sit absurdum, videtur euidens; cœlum enim ratione vnius partis æqualis grano tritici continet totidem partes quot sunt in toto illo grano & insuper excedit illud in aliis partibus proportionalibus quæ in reliquis partibus aliquotis cœli includuntur.

Respondeo concedendo sequelam de partibus proportionalibus, & negando id esse absurdum, imo necessario fatendum. Ad probationem respondeo totum non excedere quamlibet sui partem aliquotam quantumuis exiguam, quoad partes proportionales: in totidem enim medietates potest illa pars aliquota diuidi, in quot ipsum totum: vnde verum est quòd in illa parte aliquota cæli æquali grano tritici totidem sunt partes, quot in huiusmodi grano: sed quia cœlum ratione suarum omnium partium aliquotarum non continet plures partes proportionales, quàm ratione illius vnius aliquotæ, vt ex eo conuincitur quod quacumque facta diuisione cœli & partium eius in medietates, potest similis proportionaliter fieri in præfata parte aliquota, in singulis eius particulis aliquotis in quas subdiuidi potest: ideo

non ſunt plures partes proportionales in toto cœlo quàm in vno grano tritici, quamuis ſint plures in immenſum (citra tamen infinitum) aliquotæ, penes quas, & non penes proportionales attenditur maior vel minor quantitas rei. Licet autem reſponſio noſtra prima fronte videatur paradoxum quoddam, rectè tamen intellecta eſt veriſſima & ex iis quæ hactenus diximus omnino conſequens. Ex dictis.

Infero & dico tertio partes continui habere actu & non ſolum in potentia rationem partium patet ex dictis: quia ad rationem partium actu duo requiruntur, quòd diſtinguantur ab inuicem, & quòd vniantur ad componendum totum, compoſitio enim eſt diſtinctorum vnio: atqui partes continui, ſiue ſumantur vt aliquotæ & determinatæ, ſiue vt proportionales, ſunt actu diſtinctæ, cum ſint ſeparabiles: & tamen vnitæ terminis communibus, ſeu indiuiſibilibus. Confirmatur: quia quando ſunt actu ſeparatæ, ſunt tota: ergo ſi vnquam habeant rationem partium actu, debent illam habere in continuo.


Infero & dico vltimò continuum conſtare partibus aliquotis actu finitis, proportionalibus verò infinitis actu in ratione partium. Vtraque pars conſtat ex dictis: prima quidem, quia aliàs continuum haberet infinitam actu magnitudinem, cùm quælibet pars aliquota addat certam aliquam extenſionem, atque adeo infinitè infinitam: ſecunda verò, quia continuum eſt diuiſibile in ſemper diuiſibilia, alias conſtaret indiuiſibilibus ſolis: quod vero ſint actu infinitæ in ratione partium non verò entium, conſtat, quia non ſunt diſtinctæ niſi in ratione partium.

Vtrumque corollarium ponitur contra nonnullos, qui, vt ſaluent non dari multitudinem actu infinitam in continuo, dicunt partes eius non habere actu rationem partium, ſeu non eſſe ab inuicem diſtinctas, nec ſubindè actu infinitas etiam in ratione partium: ſed ſolum vt in potentia: ſed rationes factæ ſtant in oppoſitum, & aliter vitatur inconue-

niens vt patet ex dictis.

Obiici solùm potest partes in continuo non habere diuersas vnitates actu, sed vnicam totius, atque adeo non esse actu distinctas. Deinde quia sequeretur Corpus Christi esse infinities sub quantitate cuiuslibet hostiæ consecratæ si ibi sint infinitæ partes actu distinctæ. Sed,

Respondeo habere quidem vnicam vnitatem propriè dictam, plures tamen lato modo sumptas: quatenus vnitas dici potest quælibet entitas realiter distincta ab alia quamuis non actu separata. Ad aliud nego sequelam: est enim ibi corpus Christi semel tantum, de facto, cum sit actu vna quantitas; quamuis pluries in potentia, iuxta quod potest hostia in plures & plures partes diuidi, sub quibus remanet corpus Christi quandiu non sunt ita exiguæ quin sub eis conseruaretur substantia panis si per consecrationem non fuisset destructa & conuersa.



SECTIO II.

An in continuo sint vera & positiua indiuisibilia.

VT inter duas sententias extremas, quarum altera iam à nobis sectione præcedenti refutata asserit in continuo dari sola indiuisibilia; altera verò nulla admittit, sed solas partes diuisibiles quas censet se ipsis vniri & terminari solùm negatiuè quatenus vltrà non se extendunt; vt, inquam, inter duas illas opiniones mediam viam sequamur, dico in continuo dari actu indiuisibilia, tam continuatiua partium illius: quàm terminatiua extremitatum: quæ sint rea-

lia & positiua entia à partibus modaliter distincta, quæ in linea sunt puncta : in superficie lineæ, & in corpore superficies.

Quòd dentur indiuisibilia continuatiua sic ostenditur : continuum est id cuius partes terminis communibus copulantur : atqui huiusmodi termini communes copulantes partes sunt indiuisibiles : ergo dantur in continuo indiuisibilia copulatiua Maior est ipsa definitio continui, & suadetur ex eo quòd partes continui non vniuntur se ipsis, sicut materia & forma, cum non vniantur vt actus & potentia sicut illæ, atque adeò vniri debent medio aliquo nexu vtramque afficiente : deinde ex discrimine inter continuum & contiguum ; continua enim dicuntur ea quorum extrema sunt vnum, id est sunt partes quæ vna & eadem extremitate seu termino communi copulantur : at verò contigua dicuntur ea quorum extrema sunt simul, id est eidem indiuisibili spatio correspondent : ergo, cum partes continui sint inter se continuæ, vniri debent terminis communibus.

Quod autem huiusmodi termini communes sint indiuisibiles, manifestè probatur : si enim nexus vniens duas partes esset diuisibilis, deberent eius partes vniri inter se medio aliquo alio nexu, & de illo inquireretur an esset diuisibilis : nec ne : si secundum, habetur intentum quòd detur indiuisibile continuatiuum : si primum, dabitur processus in infinitum.

Quòd etiam dentur indiuisibilia terminatiua, probatur : quia extremitates continui necessariò terminari debent positiuè per extrema indiuisibilia, & non solum negatiuè per carentiam vlterioris extensionis, quod ita suadetur : quia nisi per huiusmodi indiuisibilia positiuè terminetur continuum : non poterit fieri contactus realis & physicus corporum inter se : consequens est absurdum : ergo, &c. Probatur sequela maioris : non potest dari naturaliter penetratio corporum : atqui si non terminarentur positiuè per indiuisibilia ; non possent se se tangere

ſine penetratione : ergo non poſſet naturaliter fieri huiuſmodi contactus. Probatur minor : penetratio eſt quando duæ quantitates, aut duæ partes eumdem locum occupant : atqui ſi extremitates corporum non eſſent indiuiſibilia, ſed partes diuiſibiles, illæ occuparent eumdem locum quando ſe ſe contingerent, nam contigua ſunt ea quorum extrema ſunt ſimul, ſeu eidem ſpatio correſpondent, ergo, &c. Et confirmatur : nam in hoc conſiſtit penetratio duorum corporũm, quòd ſe ſe contingant ſecundùm omnes partes : ergo & penetratio duarum partium in hoc quòd ipſæ ſimiliter ſe ſe tangant.

Dices : Extrema indiuiſibilia, quando ſe ſe contingunt, occupant idem ſpatium, & veluti ſe penetrant, vt nos volumus ; quidni idem dici poſſit de partibus extremis ?

Reſpondeo : quia illa veluti penetratio indiuiſibilium eſt ſolùm negatiua, quatenus duo non occupant maiorem locum quàm vnum, quia reuera non occupant locum qui diuiſibilis eſt : at verò partes cum propriè occupent locum, propriè & poſitiuè ſe ſe penetrarent, quòd fieri nequit.

Suadetur magis eadem ſecunda pars concluſionis, ſeu præcedens ratio confirmatur & explicatur: quando duo corpora iuxta ſe ponuntur, non ſe tangunt niſi ſecundum indiuiſibilia : ergo dantur indiuiſibilia in continuo. Probatur antecedens : tum ratione facta quæ eſt fundamentalis : quia ſcilicet alias ſi ſeſe tangerent ſecundum partes diuiſibiles illæ partes ſeſe penetrarent : tum efficaci exemplo, facta hypotheſi quòd ponatur globus perfectè rotundus ſupra tabulam perfectè planam ; tunc enim duo illa corpora, ſaltem dum vnum quieſcit ſupra aliud, tangunt ſeſe in aliquo determinato & deſignabili : atqui illud determinatum, in quo ſe ſe tangunt, non poteſt eſſe pars ſed ſolum indiuiſibile : ergo, &c. Probatur minor : quia quæ ſe tangunt in aliquo determinato, debent adæquari in eo : atqui globus ſphæricus & rotundus & corpus perfectè planũ nequeunt

adæquari in parte determinata : ergo non se tangunt in parte determinata, sed illud determinatum debet necessariò esse indiuisibile. Probatur minor : quia pars determinata corporis plani, quod tangeretur, est plena in globo autem perfectè sphærico nulla datur pars plana, alias pro illa parte non esset perfectè sphæricus sed planus : ergo non potest adæquari illi in parte determinata, ad hoc enim requireretur quod pars tangens, sicut & tacta, esset perfectè plana. Simile argumentum fieri potest de cylindro seu columna perfectè rotunda quæ quiescendo supra tabulam perfectè planam non potest eam tangere nisi in aliquo indiuisibili in latum, seu in linea : item de duabus tabulis perfectè planis quæ non possunt se se tangere in profunditate, alias se se penetrarent, atque adeo debent se tangere in aliquo indiuisibili in profundum, nempe in superficie : ergo dantur indiuisibilia realia & positiua in continuo, contactus enim non fit in aliquo negatiuo. Ex quibus.

Infertur euidenter indiuisibilia distingui realiter modaliter à partibus : impossibile enim est indiuisibile identificari omnino realiter cum diuisibili: atqui partes sunt diuisibiles : ergo nequeunt indiuisibilia identificari omnino realiter cum illis, sed modaliter saltem distinguitur ea ratione qua quilibet modus distinguitur à re modificata. Ex quo.

Infertur 2. non posse indiuisibilia separari à partibus, ita vt separata existant : quia sunt modi terminantes aut venientes partes : impossibile autem est motum separari à re modificata, aut separatum existere ; quod maximè verum est de indiuisibilibus continuatiuis quæ sunt essentialiter nexus partium, atque adeo repugnat seorsim reperiri ab illis.

Obiicies 1. Indiuisibile non potest contingere partes diuisibiles, puta lineæ : ergo nec illas vnire aut terminare. Probatur antecedens quia vel tangeret illas in indiuisibili, vel indiuisibili neutrum : ergo. Probatur minor : nam imprimis non tangit in indiuisibili, aliàs darentur plura indiuisibilia imme-

diata, & sic linea constaret solis punctis, nec etiam indiuisibili, quia quæ se tangunt, adæquantur; sed indiuisibile non potest adæquari diuisibili: ergo.

Respondeo indiuisibile, non dici propriè tangere partes quas vnit aut terminat, contactus enim propriè est duorum separatorum, quorum extrema sunt simul: sed dicitur afficere illas: & in hoc sensu negatur antecedens. Ad probationem respondeo indiuisibile afficere partem in aliquo diuisibili non determinato, sed indeterminato minori & minori in infinitum, ita vt quamcumque partem designaueris, indiuisibile, non afficiat immediatè illam secundùm se totam, nec secundùm medietatem totam illius, sed secundùm aliquid minus & minus infinitum. Et ad id quod additur respondeo ea quæ se tangunt seu afficiunt in aliquo determinato, debere adæquari; non autem quæ in aliquo solùm indeterminato.


Dices: Si punctum potest ita afficere partes lineæ, absque eo quod aliquam determinatam secundùm se totam immediatè afficiat, sed quæcumque assignetur non sit illa tota quæ immediatè afficitur aut terminatur à puncto, nec tota eius medietas, sed minor & minor in infinitum; cur idem dici non potest de sphæra tangente planum, quòd scilicet ipsum contingat non per punctum in puncto, sed per aliquam partem indeterminatam in aliqua pariter indeterminata minori & minori in infinitum?

Respondeo discrimen esse, quia licet sphæra, saltem dum mouetur, possit tangere planum (imò & necessariò debeat) in aliquo indeterminato, cùm percurrat totum illud; debet tamen etiam ipsum tangere in aliquo determinato, cùm illud in quo se tangunt, saltem quiescendo, designari possit: illud autem nequit esse nisi indiuisibile, vt ostendimus; at vero punctum immediatè afficiens partem per modum nexus aut termini non debet, imo non potest immediatè afficere aliquid determinatum, quia quodcumque designetur, non est illud totum quod immediatè vnit aut terminat, si quidem potest id vlterius diuidi

in medietates, atque adeò debet immediatè afficere aliquid indeterminatum. Radix huius diſcriminis ſumitur ex differentia inter contingens & contactum ex vna parte & vnionem ſeu terminum & rem vnitam, terminatam ex aliâ: contingens enim debet poſſe adæquari contacto in aliquo determinato; vnio autem non debet adæquari aut eſſe eiuſdem rationis cum re vnita, ſubindéque neceſſarium non eſt quòd ſi vnio ſit indiuiſibilis, etiam res vnita indiuiſibilis ſit.

Obiicies 2. Quodlibet continuum eo ipſo intelligitur finitum & terminatum, quod vlterius ſe non extendit: ergo fruſtra ponuntur indiuiſibilia quibus finiatur & terminetur.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens: intelligitur finitum & terminatum, negatiuè, concedo: poſitiuè, nego: neceſſe autem eſt terminari etiam poſitiuè vt oſtendimus, aliàs corpora ſe ſe tangerent & penetrarent ſecundùm partes extremas.



SECTIO III.

Quo modo incipiant, & deſinant entia ſucceſſiua, nec non etiam permanentia.

CVm non ſolùm continuum permanens, linea ſcilicet, ſuperficies, & corpus debeat terminari poſitiuè per indiuiſibilia; ſed etiam ſucceſſiuum, nempe motus, & tempus; quandoquidem eadem eſt ratio de vtriſque; ſupereſt hîc reſoluendum quomodo huiuſmodi entia ſucceſſiua incipiant & deſinant ratione ſuorum indiuiſibilium terminantium: idemque ob doctrinæ connexionem de entibus quæ

buſcumque etiam permanentibus erit determinandum. Pro reſolutione.

Aduerte duobus modis poſſe aliquid incipere & & deſinere : primò per inſtans intrinſecum, ſecundò per inſtans extrinſecum. Illum dicitur incipere per inſtans intrinſecum, quod in huiuſmodi inſtanti habet primò ſuum eſſe, cùm immediatè anteà (hoc eſt in parte temporis antecedente illud inſtans) non haberet : Similiter illud dicitur deſinere per inſtans intrinſecum, quod in inſtanti illo vltimo habet poſtremò ſuum eſſe ita vt immediatè poſt ſiue in parte temporis inſtans illud ſubſequente, non ſit habiturum : Vnde illud quod incipit per inſtans intrinſecum, dicitur aliis terminis incipere per primum ſui eſſe, quia de illo verum eſt dicere in illo inſtanti. Nunc primò res illa eſt & immediatè antea non erat ; pariter illud quod deſinit per inſtans intrinſecum, dicitur ſub aliis terminis deſinere per vltimum ſui eſſe, quia de illo verum quoque eſt dicere in huiuſmodi inſtanti. Nunc vltimò res illa eſt & immediatè poſteà non erit, E contra verò illud dicitur incipere per inſtans extrinſecum, quod in eo inſtanti nondum haber ſuum eſſe ſed immediatè poſteà (id eſt in parte temporis ſtatim ſequenti) habebit & illud dicitur deſinere per inſtans extrinſecum, quod in illo iam non habet ſuum eſſe ſed immediatè antea habebat : Vnde etiam illud quod incipit per inſtans extrinſecum, dicitur incipere per vltimum ſui non eſſe, quia de illo verum eſt dicere in huiuſmodi inſtanti, Nunc vltimò res illa non eſt ſed immediatè poſteà habebit eſſe : & ſimiliter illud quod deſinit per inſtans extrinſecum, dicitur finire per primum ſui non eſſe, eò quod de illo verum ſit dicere in tali inſtanti, Nunc primò res illa non eſt & immediatè anteà erat. His ita conſtitutis.

Dico res ſucceſſiuas, qualia ſunt motus & tempus incipere & deſinere per inſtans extrinſecum. Concluſio eſt euidens : illud enim dicitur incipere per inſtans extrinſecum, quod in illo nondum habet ſuum

esse, sed immediatè posteà habebit; & similiter illud dicitur desinere per instans extrinsecum, quod in tali instanti iam non habet suum esse sed immediatè anteà habebat: atqui motus & tempus in instanti inchoatiuo nondum habent suum esse, sed immediatè posteà habebunt; & in instanti terminatiuo iam illud non habent, sed immediatè anteà habebant: ergo incipiunt & desinunt instantibus extrinsecis. Probatur minor: quia de ratione motus & temporis est prius & posterius, seu extensio successiua: atqui in instanti, quod omnino indiuisibile est & inextensum, non potest dari prius & posterius: ergo non habent suum esse in instanti, sed antè vel post.

Dices: Huiusmodi indiuisibilia extrema sunt aliquid motus aut temporis: ergo motus & tempus habent esse in illis, subindéque incipiunt & desinunt per indiuisibilia intrinseca.

Respondeo quod quamuis illa indiuisibilia sint aliquid entis successiui, nempe termini ipsius, non tamen participant essentiam illius, quæ est indiuisibilis in prius & posterius: vnde distinguo consequentiam: Habent esse in illis, simpliciter & quoad id in quo consistit ipsorum essentia, nego: secundùm quid, seu quantùm ad aliquid sui, concedo. Vnde non dicuntur motus & tempus esse in instanti inchoatiuo & terminatiuo, nisi cum additio, scilicet, initiatiuè aut terminatiuè.

Dico 2. Indiuisibilia ipsa entium successiuorum incipiunt & desinunt intrinsecè, seu per primum & vltimum sui esse. Patet: quia habent suum esse simul & per vnicum indiuisibile momentum in quo verum est dicere. Nunc primò est illud indiuisibile & immediatè anteà non erat, &, Nunc vltimò est illud indiuisibile & immediatè posteà non erit. Vnde tale momentum reale diuiditur à nobis in duo instantia rationis, in quorum priori intelligitur incipere indiuisibile entis successiui, & in posteriori desinere.

Dico 3. Entia permanentia, quantùm est de se, petunt etiam incipere per instans intrinsecum, seu

per primum sui esse; & similiter desinere per instans intrinsecum, siue per vltimum sui esse.

Probatur euidenter: incipere per instans intrinsecum est habere suum esse & suam essentiam in instanti; & immediatè anteà non habuisse; similiter desinere in instanti intrinseco est in illo habere vltimo suum esse & immediatè post non esse habiturum: atqui entia permanentia ita se habent, cùm enim de se non includant successionem, sed petant habere suum esse simul, possunt & exigunt quantùm est de se habere illud primò in instanti quando incipiunt, & vltimò quando desinunt. Dixi quantum est de se: quia per accidens aliter contingit.

In primis enim substantiæ materiales in sui generatione aut corruptione, quamuis incipiant per instans intrinsecum (eo quod forma substantialis introducitur in instanti terminatiuo motus alterationis præuias dispositiones introducentis, atque adeò in illomet instanti substantia de nouo genita habet primo suum esse:) attamen desinunt per instans extrinsecum, siquidem in illo ipso momento, in quo forma noua introducitur, expellitur præcedens, vt pote quæ non potest esse simul cum alia in eadem materia: atque ita in illo instanti verum est dicere, Nvnc primò non est forma præcedens & corrumpenda, sed immediatè anteà erat. Ergo de facto res quæ generantur, incipiunt per primum sui esse seu per instans intrinsecum; desinunt verò per instans extrinsecum, & per primum non esse, eò quòd desinant ad generationem alterius quæ in illo instanti est, subindéque in eo iam non est alia quæ corrumpitur aut corrupta est. Dices: Potuit substantia corrumpenda desinere per vnum instans intrinsecum, & generanda incipere similiter per aliquid intrinsecum subsequens. Sed contra: quia iam vel darentur duo instantia immediata, quod est impossibile, aliàs enim tempus constaret solis instantibus, aut in parte mediante inter illa materia esset sine vlla forma.

Deinde etiam quantùm ad res immateriales & incorrupti


corruptibiles, cùm inceptio & desitio earum non mensuretur nostro tempore aut eius instantibus, tanquam propriâ mensurâ, sed instantibus altioris rationis, quæ dicuntur discreta, & possunt indifferenter correspondere vel partibus nostri temporis, vel instantibus eius: fit inde quòd per correspondentiam ad nostrum tempus huiusmodi res incorruptibiles aut immateriales possunt incipere & desinere vel per instans intrinsecum, si nempe instans discretum quod est propria mensura inceptionis aut desitionis illarum, correspondeat instanti nostri temporis, tunc enim habebunt primò suum esse in huiusmodi instanti: vel per instans extrinsecum, si videlicet instans discretum mensurans inceptionem aut desitionem rei incorruptibilis aut spiritualis, correspondeat parti nostri temporis, in hoc enim casu non habebit suum esse primò aut vltimo in nostro instanti, sed immediatè antè vel post: ergo, &c.

Dices primum esse rei incorruptibilis & permanentis nequit correspondere parti temporis, cùm non habeat partes priores & posteriores per quas correspondeat medietatibus prioribus & posterioribus illius partis temporis.

Respondeo distinguendo antecedens: Nequit correspondere illi parti determinatæ, concedo: indeterterminatæ, nego: seu quod idem est: Nequit illi correspondere adæquatè, concedo inadæquatè, id est minori & minori in infinitum, nego.

Aduerte id quod diximus de desitione rerum incorruptibilium, quales sunt Angeli & cœli, procedere ex suppositione quod res illæ desinerent, quod non repugnat respectu Diuinæ omnipotentiæ quæ sicut omnia è nihilo eduxit, ita potest illa in nihilum redigere per suspensionem sui concursus conseruantis. Potest etiam intelligi & debet de desitione accidentium quorundam spiritualium (vt gratiæ & virturum supernaturalium) quorum inceptio & desitio mensuratur propriè per instantia discreta: atque adeò per correspondentiam ad nostrum


tempus possunt incipere & desinere per instantia intrinseca aut extrinseca.



DISPVTATIO XIV.

De infinito.

CVM proprium sit motus & cuiuslibet alterius continui, quòd infinitas includat partes, & in infinitum syncategorematicè diuidi possit in eas, nequit eius natura perfectè intelligi sine aliqua notitia infiniti.



SECTIO I.

An detur aut dari possit naturaliter infinitum actu.

INfinitum vt sic dicitur illud quod non habet finem, seu quod caret terminis ipsum finientibus & limitantibus. Est autem duplex: aliud infinitum actu & simpliciter, seu vt alij dicunt, categorematicè: aliud infinitum in potentia, secundùm quid, & syncategorematicè. Infinitum actu & simpliciter dicitur illud quod tale & tantum est vt actu nullis omnino claudatur terminis: infinitum verò in potentia dicitur illud quod actu quidem finitum est & habet terminum, potest tamen illo carere & quolibet alio in particulari & sigillatim designabili, quo successiuè finiri & limitari potest, non

tamen omnibus collectiuè ita vt dicatur infinitum in potentia, non quia possit carere omni omnino termino & fieri infinitum actu, sed quia semper potest carere termino illo quo actu limitatur, & vlterius progredi valet.

De infinito in potentia non est difficultas: certum enim est illud dari, nam hoc modo diuisiones continui sunt infinitæ, cùm quâlibet datâ possint fieri aliæ & aliæ in infinitum: hoc etiam modo cogitationes hominum & Angelorum esse infinitas constat, quia licet semper sint actu in numero finito, tamen nusquam futura est vltima vltra quam non supersint aliæ & aliæ futuræ absque fine, quod est esse infinitas in potentia seu syncategorematicè.

De infinito igitur actu procedit quæstio, in qua vt certa à dubiis separemus certum est & lumine naturali notissimum dari ens increatum infinitum actu in ratione entis, vtpote omni immaginabili perfectione sub lätitudine entis contenta cumulatissimum, quod est Deus Optimus Maximus. Solum igitur est dubium de infinito creato quod potest esse potissimum triplex, nempe infinitum in perfectione essentiali, infinitum in quantitate siue continua siue discreta, & infinitum in intentione. Pro resolutione.

Dico nullum reipsa dari ens creatum actu infinitum, nec naturaliter dari posse: Hæc conclusio est communis.

Probatur: Nulla datur aut naturaliter dari potest substantia creata actu infinita, nullumque pariter accidens: ergo nullum ens creatum. Consequentia patet: antecedens verò probatur: Quod est in aliquo certo & determinato genere, est finitum; clauditur enim suo proprio genere & differentia tanquam terminis suæ essentiæ: atqui substantia creata est in certo & determinato genere, vt constat; ergo est necessariò finita quoad suam essentiam: ergo etiam quoad accidentia, quæ est secunda pars antecedentis. Probatur hæc consequentia: quia accidentia naturalia saltem seu naturaliter conuenientia sub-

iecto, quo sensu hic loquimur, debent esse proportionata illi: ergo si illud sit finitum, finita etiam erunt accidentia, naturaliter saltem loquendo. Et hæc ratio ac etiam conclusio magis confirmabitur in sequentibus, vbi ostendemus non posse dari infinitum actu nedum naturaliter, sed nec etiam supernaturaliter.

Obiicies: Datur infinitum in potentia vt supposuimus: ergo potest dari infinitum in actu, nam frustrà est potentia quæ non potest reduci ad actum.

Respondeo distinguendo antecedens: Datur infinitum in potentia, id est quod possit de facto carere simul omni termino, & sic fieri infinitum actu, nego: quod possit carere omni termino diuisiuè dumtaxat & successiuè designabili, ita vt semper aliquem habeat actu, concedo: & nego consequentiam: Ad probationem eius concedo frustrà esse potentiam quæ non potest reduci ad actum; sed actus in ordine ad quem aliquid dicitur infinitum in potentia, non est actualis carentia omnis omnino termini, nec subindè ratio infiniti actu, sed carentia cuiuslibet termini in particulari designabilis.

Dices: in continuò sunt partes actu infinitæ: ergo datur infinitum actu. Ad hoc iam responsum est suprà quod sicut illæ partes non efficiunt multitudinem simpliciter, ita nec infinitatem actu, nisi secundùm quid & cum addito, scilicet in ratione partium: Vnde distinguo consequentiam. Datur infinitum actu, simpliciter loquendo, nego: secundum quid, concedo.





SECTIO II.

An per absolutam Dei potentiam dari possit aliqua creatura quæ sit infinita secundùm essentiam.

ADuerte vnam & eandem Dei omnipotentiam solere distingui & veluti diuidi nostro modo concipiendi in potentiam ordinariam, & extraordinariam seu absolutam. Dicitur ordinaria, quatenus operatur iuxta solitum rerum ordinem quem ipsa Diuina prouidentia communiter seruare decreuit: Dicitur verò absoluta & extraordinaria; dum agit præter, supra, vel contra leges ordinarias à Diuina prouidentia statutas.

Cùm ergo sectione præcedenti ostensum sit non posse naturaliter, seu de potentia ordinaria, dari infinitum actu; superest resoluendum an saltem per absolutam Dei potentiam sit producibile, an verò contradictionem inuoluat in rebus dari; nihil enim respectu absolutæ Dei potentiæ reputatur impossibile nisi quod contradictionem implicat, vt hominem non esse rationalem, aut equum esse ratione præditum. In hac autem sectione agemus tantùm de infinito secundùm essentiam: de quo.

Dico implicare contradictionem quod detur aliqua creatura secundùm essentiam infinita.

Probatur: Infinitum secundùm essentiam dicitur illud cuius essentia nullis clauditur aut limitatur terminis: atqui implicat dari creaturam cuius essen-

tia non limitetur propriis terminis : ergo, &c. Probatur minor: implicat dari creaturam cuius essentia non constet genere & differentia : atqui genus & differentia sunt termini limitantes essentiam rei:ergo implicat , &c. Maior est euidens : quælibet enim creatura imaginabilis , hoc ipso quod continetur sub latitudine entis creati, debet in aliquo prædicamento sub certa aliqua specie collocari , subindéque constare genere , in quo conueniat cum aliis , & differentia qua ab illis secernatur. Minor verò non est minus certa : quod enim determinat rem ad aliquam certam perfectionem vltra quam non se extendat , præfigit ei fines ipsamque limitat : atqui genus & differentia rem determinant ad certam aliquam perfectionem , extra quam non se extendat: ergo finiunt & limitant rem illam seu essentiam quam constituunt.

Explicatur : nam essentia Gabrielis , v. g. Ex ratione generica substantiæ sub qua continetur , habet quod non participet totam perfectionem sub latitudine entis creati contentam , sed determinatur ad aliquam illius portionem , nempe ad substantiam : deinde ex propria differentia habet vlteriùs quòd non participet totam perfectionem sub genere substantiæ comprehensam , sed coarctatur ad specialem perfectionem talis speciei, excludendo perfectionem aliarum : ergo genus & differentia determinant & coarctant essentiam ad certam aliquam , finitam , & limitatam perfectionem.

Dico 2. Potest nihilominùs Deus quacumque producta creatura alias & alias in essentia perfectiores producere in infinitum syncategorematicè.

Probatur : quia quamcumque producat creaturam, illa habet finitam actu perfectionem ; vt ex præcedenti conclusione constat : ergo quacumque producta potest perfectiorem & perfectiorem in infinitum producere. Probatur consequentia : quia quacumque perfectione finita producta non est exhausta Dei potentia & virtus, cùm sit infinita : ergo potest aliam

& aliam perfectiorem producere.

Obiicies contra primam conclusionem: Potentia Dei ad extra est infinita actu: ergo potest producere effectum infinitum actu in perfectione essentiali. Probatur consequentia: quia quò maior est potentia aliqua, eò maiorem aut perfectiorem effectum potest producere: ergo infinita infinitum actu.

Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam. Ad probationem pariter concedo antecedens, & consequentiam nego: Infinitas enim potentiæ solùm exposcit quòd producta quacumque rerum specie & multitudine possit aliam perfectiorem & perfectiorem, maiorem & maiorem in infinitum producere, quod est posse producere infinitum syncategorematicè solùm & in potentia, non verò actu.

Dices: potest Deus habere hoc imperium efficax, fiat perfectissimus effectus quem ego possum producere: atqui vi illius imperij non fieret effectus actu finitus; aliàs in eo limitaretur potentia Diuina: ergo infinitus actu produceretur.

Respondeo implicare quòd Deus habeat illum actum imperij, quia inter effectus possibiles nullus est assignabilis omnium perfectissimus, sed quocumque assignato sunt alij possibiles perfectiores & perfectiores in infinitum: atque adeo frustraneum esset illud imperium, cùm nihil assignari posset quod ei obtemperaret.

Instabis: effectus debet adæquari causæ: sed nullus effectus potest adæquari potentiæ Dei infinitæ nisi actu infinitus: ergo est possibilis.

Respondeo distinguendo maiorem: effectus materialiter sumptus, nego: formaliter: quoad modum quo producitur, concedo: quamuis autem effectus infinitus materialiter spectatus & secundùm suam entitatem non adæquetur omnipotentiæ Dei, adæquatur tamen ei quodammodò formaliter quoad modum quo producitur, scilicet è nihilo, ad quod exigitur virtus infinita.


Obiicies 2. contra eandem conclusionem: Deus

operans liberè non est minùs potens quàm si ageret ex necessitate: sed si ageret ex necessitate naturæ produceret effectum actu infinitum: ergo etiam & operans liberè poterit illum attingere. Probatur minor: quia si ageret ex necessitate naturæ, applicaret totam suam virtutem actu infinitam: virtus autem actu infinita totaliter applicata, & secundum totas suas vires agens, necessariò produceret effectum actu infinitum: ergo.

Respondeo negando minorem: ad probationem pariter nego minorem: cum enim effectus actu infinitus, ex parte sui sit impossibilis, vt ostensum est, nunquam produceretur, etiam facta illa suppositione impossibili quod omnipotentia Diuina ageret necessariò & secundum totas suas vires in productione rerum ad extra, sed in eo casu continuè & sine vlla interruptione produceret ex nihilo effectus perfectiores, & perfectiores in infinitum.

Obiicies 3. Contra eandem: data quacunque creatura potest Deus aliam & aliam perfectiorem in infinitum producere: ergo possibilis est aliqua infinitè perfecta. Probatur consequentia: Si de facto in rerum natura darentur infiniti Angeli, v. g. sese in perfectione essentiali gradatim excedentes, daretur aliquis inter illos qui esset infinitæ perfectionis essentialis: ergo si sint possibiles infiniti perfectiores & perfectiores, debet in tota illorum collectione reperiri aliquis possibilis infinitè perfectus, quem proinde potest Deus producere.

Respondeo, negando consequentiam. Ad probationem concesso antecedente distinguo consequentiam: si sint possibiles infiniti categorematicè, concedo: syncategorematicè, id est non tot quin plures & plures, nego, hoc autem secundo modo duntaxat concedimus esse possibiles infinitos.



SECTIO III.

An de potentia Dei absoluta dari possit infinitum in magnitudine & multitudine.

DIco 1. implicare contradictionem quòd detur infinitum in magnitudine.

Probatur 1. Data infinita magnitudine sequitur dari posse distantiam actu infinitam intra duos terminos clausam: consequens est implicatorium, talis enim distantia foret infinita vt supponitur, & simul finita vtpote terminis clausa: ergo implicat dari infinitam magnitudinem. Sequela maioris probatur ex illo principio mathematico, quòd duæ lineæ ab eodem puncto ductæ quò plus ab huiusmodi centro protrahuntur, eò magis distant inter se; sed data infinita magnitudine, possent ab eodem illius magnitudinis puncta duæ lineæ protrahi in infinitum, siquidem extensio illius magnitudinis in infinitum procederet; ergo illæ duæ lineæ distarent à se inuicem distantia infinita: atqui talis distantia esset terminis clausa, nempe duabus illis lineis, cùm neutram illarum egrederetur: ergo daretur distantia actu infinita, & nihilominus terminis clausa & finita. Quod argumentum non solùm procedit de corpore, seu de magnitudine in longum, latum, & profundum extensa; sed etiam de linea ipsa: data enim linea infinitè longa versus orientem, nihil implicaret assignari aliam ab vno illius prioris lineæ puncto infinitè protensam versus meridiem: sed hoc posito illæ duæ lineæ versus orientem & meridiem in infinitum produ-

ctæ distarent infinitè iuxta principium statutum & nihilominus distantia illa terminis clauderetur, nempe ipsis lineis: ergo.

Probatur 2. Repugnat dari corpus simul mobile & immobile motu locali, v.g. Sed si daretur corpus actu infinitum, illud esset mobile motu locali, & simul immobile: ergo. Probatur minor: esset enim mobile quantum est de se, quia constaret materia & forma, quæ sunt principia radicalia motus, ob quam rationem alia corpora sunt mobilia; esset verò immobile, quia si moueri posset, vel motu recto vel circulari moueretur; non motu recto quia per hunc motum mobile de vno loco transit secundum se totum in alium, quod in illo casu implicaret, si quidem corpus illud omne omnino spatium repleret, aliàs si super esset aliud spatium in quod transire posset non esset infinitum, finiretur enim & limitaretur vbi desineret spatium quod actu occupat: nec etiam motu circulari, quia per huiusmodi motum vna pars mobilis debet peruenire ad locum alterius; sed vna pars corporis infiniti non posset ad locum alterius peruenire, quod sic ostendo, nam in illo corpore possent vt suprà diximus designari duæ lineæ ab eodem puncto in infinitum protensæ, atque adeo partes quas terminarent, distarent à se inuicem infinitè, sicut & ipsæ lineæ: infinita autem distantia non est pertransibilis motu locali: ergo vna pars nunquam posset peruenire ad locum alterius.

Respondebis illud corpus fore mobile per se & ex natura sua, immobile verò solum per accidens ratione infinitæ molis, quæ hoc ipso quod repleret omne spatium, motum impediret.

Sed contra: quia cum moles illa seu quantitas infinita esset accidens in entitate naturale, dimanaret à natura & principiis intrinsecis illius corporis: ergo esset immobile etiam ex natura sua, quandoquidem esset tale ratione accidentis à natura ipsius dimanantis.

Obiicies: Infinitas non repugnat essentiæ quanti-

tatis continuæ: ergo potest diuinitus produci. Probatur antecedens tùm quia aliàs non potuisset dari infinitus motus nec infinitum tempus, quòd est falsum supposito quòd mundus potuerit esse ab æterno etiam quoad successiua, vt in libris de cœlo sustinebimus: tùm quia conceditur ab Aristotele & D. Thomà, quòd si daretur linea infinita, illa nihilominus poneretur in prædicamento quantitatis, quod idem consequenter dicendum est de superficie & corpore infinitis si darentur: ergo essentiæ illorum non repugnat infinitas, aliàs dari non possent; nec supposito quod darentur, haberent sedem in prædicamento quantitatis, cùm non retinerent eandem essentiam.

Respondeo repugnare essentiæ quantitatis si non primariò & directè, saltem ex consequenti & indirectè, quatenus repugnat eius proprietatibus, puta terminationi positiuæ & locali mobilitati, cùm saltem proprietas eius sit tùm habere indiuisibilia terminantia, sine quibus non posset fieri contactus absque penetratione, vt vidimus disp. sup. sect. 2. tùm posse mouere localiter, cum ipsa sit quâ corpus constituitur extensum & loco mobile: néutrum verò ipsi competeret si foret infinita, si quidem infinitas illa consisteret in carentia omnis termini, & nullum relinqueret spatium in quo fieri posset motus. Ad probationem respondeo potuisse quidem dari motum & tempus infinitum, non tamen alias species quantitatis. Ratio discriminis est quia infinitum in ratione entis successiui, quale est tempus & motus, non est simul à parte rei, sed id quod datur actu de motu & tempore aut in eis designari potest, semper finitum est subindéque non sequitur aliquid contradicta, solùm enim infertur dari infinitum in potentia, non verò actu & simul, quod tamen sequeretur si darentur linea, superficies & corpus infinita, quia sunt entia permanentia & tota simul. Ad aliud respondeo id concedi ab illis non absolutè, sed ex suppositione quòd linea illa esset infinita solùm

quam exhauriretur omnipotentia diuina etiam circa vnam speciem.

Sed contra: quia si non repugnat produci à Deo infinitam actu multitudinem specierum aut indiuiduorum, non repugnabit etiam produci infinities infinitas multitudines omnium rerum possibilium: si enim nulla sit ratio implicantiæ in productione vnius infinitæ multitudinis, nulla etiam poterit assignari in productione infinitarum huiusmodi multitudinum: ergo posset exhauriri omnipotentia diuina, ita vt nihil ampliùs restaret illi de nouo producendum, quod est absurdum.

Probatur 2. Si sit possibilis infinita multitudo hominum, ponamus quòd singuli eorum habeant singulos nummos aureos, quódque eos omnes in vnum proiiciant cumulum: hoc posito, vel singuli homines possent ex illo cumulo vnicum tantùm nummum resumere, vel singuli denos, aut saltem plures quàm vnum, in quocunque tandem numero illos designes: neutrum dici potest: ergo repugnat illa multitudo infinita. Probatur minor, primò quoad primam partem: quia si non possunt accipere singuli denos, sed vnum solum, ideò esset quia antequam infiniti homines accepissent, exhauriretur numerus aureorum: hoc est falsum, numerus enim infinitus non exhauritur ex detractione numeri finiti, qualis esset si homines duntaxat finiti acciperent singuli denos: ergo. Secundò quoad alteram partem ostenditur: quia singuli posuerunt vnum dumtaxat, & non fuerunt aliunde immissi alij nummi, vt suppono: ergo vnusquisque suum dumtaxat resumere poterit.

Obiicies primò: Potest Deus separare infinitas partes continui: ergo potest dari infinita actu multitudo. Probatur antecedens: Potest Deus separare ea omnia quæ non habent essentialem inter se dependentiam: sed partes continui non habent, &c. ergo.

Respondeo negando antecedens, loquendo de separatione omnium collectiuè. Ad probationem, ne-

go minorem de partibus proportionalibus quæ solæ sunt infinitæ, illæ enim dependent à suis medietatibus in quas semper sunt diuisibiles.

Obiicies secundò : Potest Deus in singulis instantibus vnius horæ creare singulos Angelos, aut animas rationales : atqui in qualibet hora sunt actu infinita instantia : ergo infiniti Angeli aut animæ infinitæ creabuntur in illa.

Confirmatur : quia ex dicendis in libris de cœlo potuit mundus esse ab æterno, etiam quoad successiuas rerum generationes & productiones : ergo possent modò esse infinitæ actu animæ aut Angeli. Probatur consequentia : quia potuissent iam transiisse infinitæ generationes humanæ, ex quibus residuæ essent infinitæ animæ quippe quæ sunt immortales; similiter infinitæ productiones Angelorum, quæ fieri potuissent in infinitis successiuè annis, qui transiissent, atque adeò superessent infiniti actu Angeli.

Ad obiectionem distinguo maiorem : in singulis instantibus diuisiuè, concedo : in omnibus collectiuè, nego. Ratio est quia illæ productiones deberent fieri successiuè in instantibus sibi succedentibus, ita vt prima fieret in primo instanti designato, secunda in alio sequenti quod designaretur, & sic deinceps: at inter quælibet duo instantia sicut dantur infinitæ partes proportionales temporis, ita & infinita alia instantia eas copulantia, subindéque repugnat in omnibus collectiuè produci aliquid, quia quantumuis secunda productio videatur fieri in instanti proximo post primam, iam tamen transiere infinita alia. Possunt ergo produci Angeli in singulis instantibus diuisiuè sumptis, seu in singulis instantibus determinatis, cum productio determinata determinato instanti aut durationi debeat correspondere : sed instantia determinata aut determinabilia semper sunt actu finita, sicut & ipse partes determinatæ, atque adeò, & productiones quæ in illis fierent.

Ad confirmationem distinguo antecedens ex dicendis loco citato : Mundus potuit esse ab æterno


quoad successiuas rerum generationes & productiones, per se loquendo & quantum est ex ratione entis successiui, cui vt tali non repugnat, concedo: Per accidens, si ex alio capite in aliquibus id repugnet, nego: in iis verò de quibus est sermo in argumento id repugnare ex alio capite nempe ex implicantia infiniti quod inde consequeretur, probatum manet ex dictis. Sed de his plura in libris de cœlo.


Obiicies 3. Deus cognoscit infinitas cogitationes hominum, & Angelorum possibiles & per totam æternitatem eliciendas: ergo potest infinitam illam multitudinem producere.

Respondeo cognoscere illas possibiles, non omnes simul, sed successiuè, & hoc solùm modo posse illas producere, quia non aliter possibiles aut producibiles sunt: vndæ eæ quæ de facto sunt à parte rei, semper in numero actu finito sunt, & syncategorematicè solùm infinitæ.

Dices: Omnes illæ cogitationes quantumuis ex parte sui sint successiuæ & aliæ post alias futuræ, Deo nihilominus præsentes sunt in æternitate: ergo efficiunt multitudinem actu infinitam.

Respondeo concesso antecedente distinguendo consequentiam: Efficiunt multitudinem actu infinitam, simpliciter & in propria mensura seu duratione, nego: cum in seipsis non sint simul, sed successiuè prioribus desinentibus: secundùm quid & in mensura superiori, seu respectu æternitatis, concedo.





SECTIO IV.

An de absoluta Dei potentia dari possit infinitum actu secundùm intensionem.

CVm ex dicendis in libris de generatione sola qualitas sit capax augmenti intensiui, sensus tituli erit vtrum dari possit qualitas infinitè intensa, putà grauitas in lapide, calor in igne aut aliquo alio subiecto, lumen gloriæ in intellectu beati. Ad quod respondeo.

Dico non posse diuinitùs etiam dari qualitatem infinitè intensam.

Probatur 1. Quia illa requireret infinitam capacitatem in subiecto recipiente, eò enim maior debet esse capacitas in subiecto, quò perfectior & intensior est forma aut qualitas quæ recipitur: atqui nullum subiectum creatum habet aut habere potest capacitatem infinitam: ergo. Probatur minor: quia entitas cuiuslibet subiecti creati est finita & limitata: ergo & capacitas quæ ab entitate non distinguitur.

Probatur 2. Si posset dari infinita grauitas v.g. in lapide, posset moueri motu locali deorsum in instanti: consequens implicat, siquidem motus localis est essentialiter successiuus, subindéque nequit fieri nisi in tempore: ergo. Probatur sequela maioris: Tantò velocior est motus localis deorsum & in minori duratione fit quantò maior est grauitas in mobili: ergo si esset infinita grauitas, fieret motus localis minima omnium duratione quæ est instans. Idem argumentum fieri potest de calore, qui si esset infinitus, in

instanti calefaceret, cùm tamen calefactio ex sua essentiali ratione sit pariter motus successiuus.


Confirmatur: Si posset dari in intellectu beati lumen gloriæ infinitum, posset intellectus ille comprehendere Deum: consequens implicat, Deus enim incomprehensibilis est ab omni alio intellectu quàm proprio: ergo, &c. Probatur sequela: Obiectum aliquod comprehendi est cognosci quantùm cognoscibile est: sed Deus mediante illo lumine cognosceretur, & videretur quantùm visibilis, & cognoscibilis est, cùm videretur modo infinito: ergo comprehenderetur.

Obiicies 1. Gratia quæ est in anima Christi, est infinita, vt docent Theologi: sed illa est qualitas: ergo dari potest qualitas infinita

Respondeo non esse infinitam Physicè & in esse qualitatis, posset enim Deus per absolutam suam potentiam producere intensiorem, sed solùm moraliter, & in esse meritorij, quatenus est gratia hominis Dei, ex quo habet infinitam dignitatem, & est principium quo elicuit operationes infinitè meritorias quibus gratiam, & gloriam meruit infinitis hominibus si darentur, meruit, inquam, illis quoad sufficientiam.

Quærunt hîc authores, an vnum infinitum possit esse maius alio? Ad quod respondemus nos negando suppositum, cùm ostenderimus non dari vllum infinitum: qui verò illud admittunt, tenentur fateri vnum esse maius alio, puta si daretur multitudo infinita hominum, maior & numerosior esset infinitas capillorum, digitorum, &c. Sed ego existimo hoc esse vnum ex præcipuis absurdis, quæ ex positione infiniti sequerentur: nam reuera illud infinitum quod esset minus alio, foret infinitum, & non foret infinitum: foret quidem vt supponitur: non foret verò, quia posset fieri illi additio vt alteri adæquaretur, cum tamen infinito nihil addi possit. Nec dicas materialiter dumtaxat posse fieri illi additionem, & sic vnum infinitum esset maius alio materialiter solùm

& non formaliter, quia vtrumque careret terminis, quæ est ratio formalis constitutiua infiniti: Nam contra est, quia illud quod esset minus alio in multitudine, verè haberet terminos illius multitudinis siquidem posset vltra illos procedere.



APPENDIX.

Vtrùm quælibet res naturalis habeat suum maximum & minimum quod sic.

CVm ex dictis in duabus præcedentibus disputationibus relinquatur ex vna parte continuum esse in infinitum diuisibile in partes minores & minores; ex alia verò non posse esse actu infinitum in magnitudine; oritur difficultas, an res naturales continuæ siue quantitatiuæ habeant certos terminos tum paruitatis tum magnitudinis quos transilire non possint. Et hic est sensus tituli, iam minimum quod sic dicitur minor illa quantitas sub qua res esse potest, & sub minori non potest: & è contra maximum quod sic appellatur maior illa quantitas sub qua res esse potest, & non potest sub maiori. Hoc posito.

Dico primò: Quodlibet viuens habet suum maximum quod sic, seu certum terminum magnitudinis, quem excedere non potest saltem naturaliter.

Probatur: quia viuentia augentur vi caloris innati conuertentis alimentum in propriam substantiam viuentis: ergo ad eum terminum magnitudinis deuenire possunt quem transgredi nequeant. Proba-

tur consequentia : quia calor ille naturalis agendo in alimentum, reparatur ab eo ac debilitatur, & eò tandem deuenit vt plus consumat substantiæ ipsius viuentis & primigenij radicalis (quod continuo depascit tanquam suum proprium alimentum, eo proportionali modo quo lumen lampadis consumit oleum) quàm conuertat nutrimenti in substantiam viuentis: ergo tunc viuens peruenit ad terminum magnitudinis quem excedere non potest sua saltem virtute naturali.

Dico secundo : Res naturales purè corporeæ, seu non viuentes non habent suum maximum quod sic, seu terminum magnitudinis quem excedere non possint.

Probatur ex discrimine inter viuentia & non viuentia : ideò enim viuentia non possunt augeri in infinitum, sed habent certum terminum magnitudinis, quia calor naturalis, virtute cuius quantitatem acquirunt, debilitatur, & tandem ad eum terminum deuenit vt vlteriùs nequeat progredi : atqui res purè corporeæ non augentur per virtutem aliquam actiuam, quæ conuertendo alia in suam substantiam debilitetur : ergo poterunt magis & magis crescere. Probatur minor : nam vel augentur per solam iuxta positionem aliarum rerum homogenearum, cum quibus hoc ipso continuantur, sicut aqua augetur per appositionem alterius similis liquoris; vel super virtutem actiuam conuersiuam alterius in propriam substantiam, tantum abest vt virtus illa agendo & conuertendo aliud debilitetur, quin potiùs magis crescit, vt patet in igne cuius virtus tanto fit actiuior quantò magis augetur : ergo.

Confirmatur : nam vt iam innuimus; illud est discrimen inter viuentia & non viuentia, quod illa augentur per intùs susceptionem alimenti conuertendo ipsum vi caloris naturalis, hæc verò per solam iuxta positionem : atqui, quantumuis aqua & ignis sint in magna quantitate, potest fieri huiusmodi iuxta positio alterius similis substantiæ, aquæ enim,

quantacunque sit, potest semper, infundi alia, & igni similiter apponi combustibile. Dicere autem ignem & aquam posse ad tantam deuenire magnitudinem, vt non continuaretur in illo casu aqua præexistens cum alia sibi de nouo infusa & superaddita, nec ignis cum stupa sibi iniecta & incensa, sed quod seruarent suas entitates diuisas & separatas, solumque contiguas, est omninò imaginarium & gratis dictum: quare enim aquæ iuxta positæ amittunt modò sua indiuisibilia extrema & continuari incipiunt, tunc verò minimè?

Obiicies: Quælibet forma naturalis requirit certas dispositiones aut determinata accidentia inter quæ est quantitas; ergo exigit certam & determinatam quantitatem quam excedere nequeat, atque adeò petit certum terminum magnitudinis.

Respondeo quamlibet formam naturalem exigere certa accidentia actu determinata, seu finita & limitata de facto, cum quo stat vt terminum quem actu habent, excedere possint, nisi ex alio capite repugnet, vt de calore ignis qui in certo gradu est proprietas illius. Vnde concedo quantitatem cuiuslibet rei corporeæ semper habere actu terminum magnitudinis, illo tamen carere in potentia, quatenus eum & quemlibet in particulari excedere potest, vt constat ex dictis. Illa ergo locutio quæ est frequens in D. Thoma, quòd nempe quælibet forma naturalis exigat certam & determinatam quantitatem, solùm significat non posse habere actu infinitam, sed debere finitam & limitatam habere.

Dico 3. Tam viuentia quàm non viuentia habent suum minimum *quod* sic, seu certos terminos paruitatis, naturaliter loquendo.

Probatur: quia adeò exigua potest esse materia, vt in ea nequeat naturaliter recipi & conseruari forma siue purè corporea siue viuens: ergo res naturalis siue inanimata siue viuens habet certum terminum paruitatis. Probatur antecedens: quia forma quælibet exigit recipi in tali materia: in qua possit

exercere ſuas operationes, cùm vnumquodque ſit propter ſuam operationem: atqui tam exigua poteſt eſſe materia, vt in illa nullam poſſit forma naturalis exercere operationem, adeò enim minui poteſt per diuiſionem materia cui ineſt forma ignis v. g. vt in ea non poſſit amplius actionem calefaciendi exercere: ergo non poterit in ea recipi & conſeruari connaturaliter & in ſtatu permanenti, quod addo vt denotem poſſe ibi eſſe formam per aliquam breuem morulam & in ſtatu viali ſeu intendentia ad corruptionem. Dices: Remanebit ergo materia ſine forma. Reſpondeo id negando, quia licet forma ignis non poſſit eſſe in tam exigua materia, poterit tamen alia quæ ipſi ſuccedet: reſpectu cuius terminus paruitatis erit minor.

Obiicies: Detur minimum combuſtibile & applicetur igni: ex hoc ſic arguo. Ignis ille prius comburet partem propinquiorem illius combuſtibilis quàm remotiorem: ergo falſum eſt aliquam quantitatem ita exiguam aſſignari poſſe, vt in minori nequeat eſſe forma ignis, quandoquidem aſſignato quolibet quantumuis exiguo combuſtibili poteſt in aliquid minus ipſo, nempe in partem eius introduci.

Reſpondeo negando antecedens: quia non poteſt comburi aliquid, ſeu in materiam aliquam introduci forma ignis, niſi adſint diſpoſitiones neceſſariæ, inter quas eſt tanta quantitas, ſufficiens vt in ea poſſit forma illa exercere ſuas operationes; atque adeò aſſignata tali exigua materia non poterit introduci forma niſi ſimul in totam, idque in inſtanti terminatiuo calefactionis ſufficientem calorem vt præuiam diſpoſitionem introducentis.

Dices: Continuum eſt diuiſibile in infinitum: ſed aqua v. g. eſt continua, ſimiliter ignis, panis, &c. ergo quodlibet illorum eſt diuiſibile in infinitum in partes, ſubindéque poterit eſſe ſub minori & minori quantitate.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem: continuum mathematicè ſpectatum, ſeu ſumptum pro ipſa

quantitate continua secundùm se & vt abstrahit ab eo quòd sit accidens connaturale compositi physici, concedo: physicè consideratum, prout est proprietas aut accidens connaturale talis compositi in particulari, nego; quia tandem ad eam paruitatem deuenietur in qua remanere nequeat forma substantialis: vnde similiter distinguenda est consequentia: Aqua & alia huiusmodi erunt in infinitum diuisibilia, si mathematicè pro ipsa quantitate duntaxat sumantur, concedo: si physicè pro ipso composito substante huiusmodi quantitati, aut quod idem est pro ipsa quantitate vt est proprietas siue dispositio naturalis talis compositi, nego. Et ob hanc rationem in tam exiguas diuidi & vt ita loquar puluerisari posset quantitas specierum sacramentalium, partes, vt sub illis non remanerent corpus & sanguis Christi Domini, qui tandiu duntaxat sub illis conseruantur quandiu conseruaretur si ibi adesset substantia panis & vini.

Aduerte autem quòd licet continuum physicè sumptum pro ipso scilicet composito naturali vt extensó per quantitatem, non sit diuisibile in infinitum in partes per se substantes, sub quibus separatis conseruaretur, benè tamen in partes inexistentes seu in toto designabiles, quia non tot possunt in eo signari, quin plures adhuc designabiles sint, quod sufficit ad rationem continui, vt patet in cœlo quòd non est diuisibile in partes per se subsistentes & separatas, alias esset corruptibile; & tamen in eo reperitur propria ratio continui, quia scilicet est diuisibile in partes inexistentes minores & minores in infinitum per solam ipsarum signationem. Vnde datur quidem terminus paruitatis, vt ita dicam, subsistens, seu tam exigua quantitas separata vt sub minore remanere non possit forma rei naturalis, sicut probatum est: non tamen inexistens, quia verè forma naturalis est sub qualibet parte quantitatis minori, & minori in infinitum quandiu est in toto.

De Loco in libris de cœlo agetur.



IN SEPTIMVM librum Physicorum.

DISPVTATIO VNICA, ORDINE XV.

De conditionibus ad motum requisitis.

DVÆ examinantur hîc conditiones ad mouendum requisitæ. Prima est distinctio mobilis à mouente. Secunda est indistantia ipsorum. De prima sit.



SECTIO I.

Vtrùm omne quod mouetur, moueatur ab alio.

SEnsus tituli est vtrùm ita necesse sit mobile seu passum distingui, ab agente & mouente, vt non possit idem planè mouere seipsum, sed necessario debeat ab alio realiter distincto pendere in suo mo-

tu, Ratio dubitandi est.

Primo: quia viuentia mouent seipsa, in quo differunt à non viuentibus, quæ mouentur ab alio, viuere enim est moueri à se, & si respondeas illud discrimen in hoc consistere quod res purè corporea & inanimata mouetur à principio actiuo omnino extrinseco, ita vt ipsa sit principium duntaxat passiuum seu receptiuum motus; viuens autem mouetur à principio actiuo motus sibi intrinseco, nempe ab anima vt principio *quo* radicali, & à potentiis vt principiis proximis elicitiuis motus vel actionis, & à corde iuxta Aristotelem, vel à cerebro iuxta Galenum, transmittente spiritus vitales aut animales ad facultates motiuas vel sensitiuas, quibus eliciant suas operationes: atque adeo etiam in viuentibus mobile aut passiuum, quod est ipsum totum viuens, distinguetur saltem realiter inadæquatè, seu distinctione includentis & inclusi, à mouente quod est tantùm pars, aut facultas aliqua interna. Contra est: quia saltem pars illa aut facultas mouebitur à seipsa & non ab aliquo alio, siquidem causat in seipsa motum & actionem, puta cor motum dilatationis & restitutionis quo continuò mouetur; & similiter facultates sensitiuæ & intellectiuæ, suas operationes quæ dicuntur immanentes quia recipiuntur & manent in illis; subindéque idem est in eis mouens & mobile.

Secundò quia quælibet essentia habet rationem efficientis, subindéque mouentis, respectu suarum proprietatum quas in se recipit, atque adeò idem est ibi mouens & motum. Et idem dicendum est de motu grauium & leuium, causatur enim effectiuè ab ipsis, & in eisdem recipitur. Item aqua calida seipsam amoto igne reducit ad pristinam frigiditatem, subindéque est mouens & mota respectu eiusdem frigefactionis. Nihilominus.

Dico verissimum esse illud axioma Aristotelicum, quòd scilicet omne quod mouetur, mouetur ab alio realiter distincto. Ex quo, iuncto alio principio,
quòd

quòd nempe in mouentibus per se subordinatis non possit dari processus in infinitum, demonstrat Philosophus libro sequenti dari vnum primum motorem immobilem, qui est Deus Optimus Maximus. Vnde qui negant illud axioma, vel in dubium reuocant, non parum fauent Atheis qui ex motu horum inferiorum non poterunt efficaciter deduci ad confitendum vnum primum motorem.

Probatur conclusio ratione generali, quæ procedit de omni mouente & moto quacunque tandem mutatione siue corporea & physica, siue metaphysica & spirituali: quia impossibile est idem esse simul in actu & in potentia respectu eiusdem, id est, præhabere illud actu, & præhabere illud sola aptitudine aut potentia: atqui mouens est in actu respectu illius ad quod mobile vel passum est solum in potentia: ergo impossibile est idem omnino esse à parte rei mouens & mobile respectu eiusdem, subindéque omne quod mouetur, mouetur ab alio. Probatur minor: mouens seu agens quà tale est in actu respectu effectus, nihil enim agit nisi inquantum est in actu, vt habet commune proloquium, id est inquantum actu præhabet id quod efficit, mobile verò seu subiectum receptiuum inquantum tale est in potentia ad recipiendum in se effectum illum aut terminum ab agente producendum: ergo mouens quà tale est in actu respectu illius ad quod mobile est solum in potentia.

Respondebis hoc argumentum solum probare, non posse idem esse in actu formali, & simul in potentia respectu eiusdem putà habere calorem formalem, & simul & semel esse in potentia ad ipsum; non autem conuincere quod idem non possit esse in actu dumtaxat virtuali respectu alicuius quod solum virtualiter continet & simul in potentia ad illud idem formaliter recipiendum: atque adeo non ostendit quod idem non possit esse mouens & mobile respectu eiusdem, seu quod non possit moueri à seipso. Quod autem res ita habeat videtur omnino certum:

nam vinum, E. G. piper & alia huiuſmodi quæ ſunt virtualiter calida, dicuntur eſſe in actu virtuali reſpectu caloris quem poſſunt efficere in ſtomacho v. g. & in potentia ad eundem formaliter in ſeipſis recipiendum, ſimiliter potentiæ animæ ſecundum ſe ſunt in actu virtuali, reſpectu operationum, & in potentia formali ad eas recipiendas.

Sed contra: quia id quod eſt in actu virtuali perfecto reſpectu alicuius, ſeu quod virtualiter aut eminenter illud continet, perfectiori modo præhabet illud, quàm ſi eſſet in actu formali; nam habere calorem formalem, E. G. eſt habere ipſum cum limitatione, habere autem virtualem vel eminentialem eſt continere ipſum ratione alicuius formæ perfectioris, quæ non eſt formaliter calor, ſed aliqua alia perfectio calorem virtualiter aut eminenter continens, vt lux Solis: quæ ſubinde perfectio non eſt limitata ad vnam rationem: ergo ſicut non poteſt idem ſimul eſſe in potentia & in actu formali reſpectu eiuſdem, ita & à fortiori nec in actu virtuali: vnde cùm ea, quorum fit mentio in reſponſione, ſint in potentia reſpectu illorum actuum formaliter, efficaciter conuincit ratio noſtra quòd non ſint ſecundùm ſe præcisè ſpectata in actu virtuali perfecto ſaltem & omnino completo in actu ſecundo, atque adeò quod debeant conſtitui talia, ſeu in rationem mouentium actu per aliquid ſuperadditum & aliunde adueniens, atque ita non erit idem mouens in actu ſecundo conſtitutum & mobile. Vnde ex hoc principio infertur neceſſitas influxus præuij recepti in cauſa ſecunda vt per illum conſtituatur in ratione mouentis actualis: atque adeò conuincitur dari primum mouens, cùm nequeat dari proceſſus in infinitum. Præter huiuſmodi autem influxum ad conſtituendas cauſas aut potentias in ratione actu mouentium generaliter neceſſarium, adhuc in exemplis adductis de vino & pipere requiritur aliquid aliud, nempe quòd excitentur à calore naturali, vt actu moueant ſeu vt cauſent calorem quem virtualiter di-

cuntur continere. Ex quibus omnibus constat mouen actu & mobile distingui realiter, saltem inadæquatè quatenus mouens actu constituitur tale per aliquid superadditum. Sed hæc omnia magis adhuc declarabuntur respondendo ad rationes dubitandi:


Probatur verò secundò conclusio: impossibile est vnum & idem pendere realiter à seipso: atqui mobile seu passum realiter pendet à mouente seu agente: ergo non est idem mouens & mobile. Probatur minor: quod recipit aliquid reale ab alio, realiter pendet ab eo quantum ad illud, loquendo saltem in rebus creatis: atqui passum recipit motum aut effectum ab agente: ergo realiter pendet subindéque distinguitur ab illo, vel adæquatè, sicut proiectum à proiiciente, & omnis causa secunda vel potentia à causa præmouente; vel saltem inadæquatè & distinctione includentis & inclusi, sicut viuens à potentia aut principio interno mouente, aut ipsamet facultas vt mota seu vt recipiens suam operationem tanquam subiectum *quo* (subiectum enim *quod* est totum) à seipsa vt eliciente. Vnde.

Ad primam rationem dubitandi bene respondetur ibidem. Ad replicam patet ex iam dictis huiusmodi potentias aut principia non moueri à seipsis absque vlla distinctione mouentis & mobilis, mouent enim seu agunt vt constituta in actu secundo per aliquod superadditum, mouentur verò & recipiunt secundùm suas entitates: præterquàm quòd loquendo de corde, motus ille dilatationis & restrictionis, seu quod idem est, potentia continuò & necessariò huiusmodi motum eliciens inest ei à generante.

Ad secundum respondeo negando idem esse mouens & mobile in illis exemplis: essentia enim est quidem id quod recipit proprietates, sed agens quod propria actione illas producit est solùm generans. Similiter dico de motu grauium & leuium, ac de recuperatione frigiditatis in aqua: causa enim horum omnium est ea quæ produxit res illas quibus huiusmodi proprietates, motus, aut accidentia debentur;

quod enim dat esse dat consequentia ad esse, siue ipso initio productionis rei, siue posteà. Et licet non adsit generans aut actio generatiua formaliter, censetur tamen adesse virtualiter & remanere in essentia rei genitæ tanquam in effectu primario, quatenus reliquit in ea necessariam determinationem ad tales proprietates (sublatis obstaculis) tanquam ad effectus secundarios. Sed de his in libris de generatione, vbi de resultantia proprietatum.

Ex dictis inferre licet quàm profundo innitatur fundamento physica præmotio, fundatur enim in eodem principio à quo deducitur necessitas vnius primi motoris, in illo scilicet principio à nobis stabilito, quod omne quod mouetur debet moueri ab alio, seu in eo quod idem nequit esse in actu & in potentia respectu eiusdem, ex quo fit quòd cùm causæ secundæ & facultates operatiuæ sint solùm in potentia ad suas actiones, debent necessariò recipere aliquem influxum aut motionem quâ reducantur ad actum, atque adeò ab alio moueri cui proinde per se subordinantur, vnde cùm in mouentibus per se subordinatis non possit dari processus in infinitum, deueniendum tandem est ad vnum primum motorem immobilem. Sed de his aliàs.



SECTIO II.

Vtrùm mouens vt mobile debeant esse simul.

SEnsus est vtrùm mouens aut agens debeat esse immediatè coniunctum passo aut mobili in quod agit, an verò possit agere in subiectum distans, cui nec per suam substantiam nec per virtutem à se dif-

fusám coniungatur? Pro quo.

Aduerte dupliciter posse agens esse immediatum passo: primò immediatione suppositi & virtutis simul, quo modo ignis est præsens calefactibili sibi contiguo: secundò immediatione virtutis tantùm, & non suppositi seu substantiæ; qua ratione Sol coniungitur his inferioribus in quæ agit, non enim adest illis immediatè per suam substantiam, sed solùm per virtutem à se diffusam. Hoc posito.

Asserunt Scotus & Scotistæ posse aliquod agens operari in subiectum, absque eo quod ipsum contingat contactu suppositi aut virtutis à se diffusæ & per medium transmissæ.

Dico tamen omne agens debere esse immediatum passo, vel vtraque immediatione, vel saltem immediatione virtutis: id est debere esse præsens in loco vbi operatur, vel per suam substantiam, vel per virtutem à se diffusam.

Probatur: Operatio sequitur ad esse, ita vt actualis existentia sit omnino necessaria ad operandum: ergo ad operandum in tali loco necessaria est existentia agentis in eo loco. Probatur consequentia à simili: sicut enim ad operandum in tempore in quo res non est, ita se habet ac si nunquam fuisset aut futura esset, ita ad operandum in loco vbi non est ita se habet ac si omnino non esset, in rerum natura: atqui implicat contradictionem aliquid agere nisi existat vel per se vel per suam virtutem eo tempore quo agit: ergo pariter repugnabit quòd agat nisi sit præsens vel per se vel per suám virtutem in loco vbi operatur & producit effectum.

Confirmatur hoc, inductione in omni agentium aut mouentium genere: nam in primis ipse Deus, qui est primum agens, est intimè præsens omnibus creaturis, & quoad substantiam & quoad virtutem ac operationem, vt pote ab eius substantia indistinctas, quod docet Apostolus Act. 17. Non longè (inquit) est ab vnoquoque nostrum, in ipso enim viuimus mouemur & sumus. Vbi vides Diuum Paulum

ex operatione Dei in creaturam, quâ ei vitam, motum, & esse continuò tribuit & conseruat, inferre intimam illius præsentiam in nobis. Vnde efficax desumi potest argumentum pro aliis agentibus: nam si illa consequentia Pauli sit legitima, valet etiam pro aliis, ita vt ex illorum operatione colligi possit ea esse præsentia vbi operantur. Deinde etiam intelligentia motrix cœli, teste Philosopho, est suppositaliter in parte orientali in qua incipit motus, in aliis verò est præsens solùm per suam virtutem: & idem dicendum de quolibet alio agente proportionaliter, ignis enim per suam substantiam est præsens & coniunctus illi parti aëris aut alterius subiecti sibi contigui, quam primò calefacit, aliis verò remotioribus per calorem à se diffusum; medio enim calore in proxima parte producto, calefacit aliam partem remotiorem, & istâ mediâ aliam, & sic consequenter donec perueniat ad vltimam quæ est intra sphæram actiuitatis eius. Ex quo.

Confirmatur magis conclusio: quia si agens posset agere in distans, nulla esset sphæra actiuitatis eius, sed posset agere ad quacumque distantiam: consequens est manifestè falsum: ergo. Sequela probatur: nulla enim alia ratio assignari potest cur nequeat agere nisi ad certam distantiam, quàm quia virtus ab ipso diffusa paulatim debilitatur, quatenus medium decurrit & per illud diffunditur vniformiter difformiter, hoc est non æqualiter in omnibus eius partibus, sed in parte propinquiore magis, in remotiore minus, & sic consequenter donec deficiat: illa autem ratio nulla erit si necesse non sit quòd ex se emittat virtutem, eamque per medium diffundat: ergo.

Pro solutione obiectionum aduerte, quòd quando aliquid agit in medium, & in subiectum distans, non semper idem effectus producitur in vtroque, ob diuersam scilicet capacitatem & dispositionem quam habent: vnde Sol in cœlis sibi contiguis producit lumen, non verò calorem cuius sunt incapaces, vt

pote incorruptibiles ; in aëre verò ſimul cum lumine calorem efficit, quia vtriuſque eſt capax ; in viſceribus terræ non producit lumen, propter capacitatem illius elementi quod eſt incapax lucis, producit tamen in eo calorem aut alias influentias, ratione quarum in vna illius parte producit aurum, in alia ferrum & ſimilia, ob varias ſcilicet diſpoſitiones quas inibi reperit. Et ex hoc oritur quòd quamuis idem accidens ſit in medio & in ſubiecto diſtanti receptum, non tamen eundem ſemper effectum producit.

Ex quibus inferes ſolutionem plurium inſtantiarum quæ aduerſus concluſionem noſtram fieri poſſunt : & in primis quomodo magnes E. G. etſi valde diſtans à ferro, trahat illud ad ſe, ſimiliter electrum paleas ; id enim præſtant mediantibus quibuſdam ſecretis qualitatibus quas diffundunt per medium, & tranſmittunt vſque ad res illas : nec tamen per tales virtutes trahunt ad ſe medium, quia in eo non eſt diſpoſitio illa ſeu ſpecialis conuenientia & ſympathia cum magnete & electro vt trahatur, quæ reperitur in ferro & paleis. Idem proportionaliter dic de duobus illis piſciculis, Torpedine & Remora, quorum prior, ſi tangatur à reti piſcatoris obſtupefacit manum eius, non tamen rete ; poſterior verò ſuo contactu ſiſtit ingens nauigium : hos enim effectus præſtant per ſecretas virtutes à ſe diffuſas. Denique corpora cœleſtia agunt in hæc inferiora immediatè immediatione virtutis tranſmittendo lumen & alias ſecretas influentias, quæ non ſortiuntur vbique eoſdem effectus, ſed vbi reperiunt congruas diſpoſitiones.

Dices : Proiicens non coniungitur mobili poſtquam ipſum proiecit : ergo mouens & mobile non debent neceſſariò eſſe ſimul.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens : Non coniungitur ei per ſuam ſubſtantiam, concedo : per virtutem impulſiuam ipſi impreſſam, nego : quæ virtus impulſiua paulatim debilitatur, & propterea motus violentus eſt tardior in fine, cùm naturalis ſit tunc

velocior; quia scilicet virtus naturalis, putà grauitas, non debilitatur, sed maiores quodammodo acquirit vires quando approximat se centro, siue ob sympathiam quam habet cum illo, siue ratione alicuius virtutis attractiuæ quam habet centrum, simile proportionaliter illi quam diximus diffundi à magnere.



IN OCTAVVM librum phisicorum.

DIsputandum primò esset de æternitate aut inceptione motus & temporis, quæ Philosophus conatur hic ostendere fuisse de facto ab æterno.

Secundò de existentia vnius primi mororis immobilis ad quem ex motibus horum inferiorum ascendendum esse ostendit.

Sed nos primum remittemus ad sequentem tractatum de mundo Disp. 1: secundum (de quo Lib. & Disp. præcedenti sect. 1. iam aliquid tetigimus) ad Metaphysicam Par. 2. Disp. 1. vbi de existentia déque attributis Dei Opt. Max. qui sit benedictus in sæcula. Amen.

Finis Primæ partis.




INDEX.

TOMI SECVNDI.

TOMI SECVNDI.

INDEX.

LAVS DEO.



MAG 2005409

263



Digitized by Google